Luigi Miraglia

FABVLAE SYRAE

Graecorvm Romanorvmqve fabvlae
ad vsvm discipvlorvm Latine narratae



Edizioni Accademia
Vivarium novum

Luigi Miraglia

FABVLAE SYRAE

Graecōrum Rōmānōrumque fābulae
ad ūsum discipulōrum Latīnē nārrātae

Edizioni Accademia
VIVARIUM
NOVUM

ROMA - ANNO MMX

FABVLAE SYRAE

Scrīpsit
Luigi Miraglia

Adiuvērunt in scrībendō
Ignacio Armella Chávez, Jiří Čepelák, Eduardo Arturo Flores Miranda, Gerardo Froylán Guzmán Ramírez, Alexis Cuauhtémoc Hellmer Villalobos, Omar Pacheco López, Jan Odstrčilík, Patrick Owens, Pedro Emilio Rivera Díaz, Özséb Áron Tóth

Recēnsuērunt
Roberto Carfagni, Jiří Čepelák, Gerardo Froylán Guzmán Ramírez

In pāginās dīgessit
Sergio Scala

Imāginēs sēlēgērunt
Eduardo Arturo Flores Miranda, Gerardo Froylán Guzmán Ramírez, Rogério Matsumoto Figueiredo, Horacio Heredia Vázquez

© Edizioni Accademia *Vivarium novum* 2010.
Via Corrado Barbagallo, 20, I-00166 Roma.
Tel. (+39) 06 66589833 - 06 6689034
Fax (+39) 06 61007266
www.vivariumnovum.it
info@vivariumnovum.it

Omnia proprietātis iūra reservantur
Stampato in Ungheria - *Printed in Hungary*

ISBN 978-88-95611-29-7

Le Edizioni Accademia *Vivarium novum* garantiscono che questo libro recepisce quanto previsto in merito alle caratteristiche tecniche e tecnologiche dell'art. 15, comma 3, letter a) e b) (Legge 6 agosto 2008, n. 133 e DM 41/09). Si impegnano inoltre a variati i contenuti per cinque a atta eccezione per la pubblic i eventuali appendici online (art. 5, Legge 169/2008).

È assolutamente vietata la riproduzione totale o parziale di questa pubblicazione, così come la sua trasmissione sotto qualsiasi forma e con qualunque mezzo, anche attraverso fotocopie, senza l'autorizzazione scritta delle Edizioni Accademia *Vivarium novum*.

Kinizsi Nyomda - Debrecen

RES QVAE HOC LIBRO CONTINENTVR

PRAEFATIO *pāg.* 5

AD CAPITVLVM XXVI 7

1. Pygmalion 7
2. Virginia 8
3. Europa 9
4. Cornelia 11
5. Tarpeia 12

AD CAPITVLVM XXVII 13

1. Minos 13
2. Latona 14
3. Phrixvs et Helle 17
4. Comatas 19
5. Coronis 20

AD CAPITVLVM XXVIII 23

1. Atalanta 23
2. Vetvria 26
3. Navsicaa 28
4. Cyparissvs 30
5. Alcestis 33

AD CAPITVLVM XXIX 35

1. Orphevs et Evridice 35
2. Ceres et Proserpina 38
3. Arethvsa 43
4. Pandora 46
5. Niobe 48

AD CAPITVLVM XXX 53

1. Polyphemvs et Galatea 53
2. Glavcvs 54
3. Ceyx et Alcyone 57
4. Horatius Cocles 60
5. Ganymedes 63

AD CAPITVLVM XXXI *pāg.* 65

1. Devcalion et Pyrrha 65
2. Promethevs 68
3. Centavromachia 71
4. Tantalvs 72
5. Cadmvs 75

AD CAPITVLVM XXXII 81

1. Daphne 81
2. Arachne 83
3. Io 86
4. Bavcis et Philemon 89
5. Callisto et Arcas 92

AD CAPITVLVM XXXIII 97

1. Bellerophon 97
2. Gaivs Mvcivs Scaevola 99
3. Laomedon et Hesione 101
4. Andromeda 103
5. Adonis 105

AD CAPITVLVM XXXIV 109

1. Apollo et Hyacinthvs 109
2. Narcissvs et Echo 112
3. Pomona et Vertvmnvs 118
4. Phaeton 124
5. Actaeon 133

INDEX NOMINVM 137

INDEX VOCABVLORVM 140

NOTAE

	idem atque	*Gr*	Graecē
	id est	*imperf*	imperfectum
↔	contrārium	*ind*	indicātīvus
<	factum/ortum est	*indēcl*	nōn dēclīnātur
	sīve	*m*	masculīnum
+	cum, atque, additur	*n*	neutrum
abl	ablātīvus	*nōm*	nōminātīvus
acc	accūsātīvus	*pāg.*	pāgina
adi	adiectīvum	*part*	participium
adv	adverbium	*pass*	passīvum
coni	coniūnctīvus	*perf*	perfectum
dat	datīvus	*pl*	plūrālis
dēcl	dēclīnātiō	*praes*	praesēns
dēp	dēpōnēns	*prp*	praepositiō
f	fēminīnum	*sg*	singulāris
fut	futūrum	*sup*	superlātīvus
gen	genetīvus	*voc*	vocātīvus

Ad pāginārum latera explānantur vocābula quae nōn reperiuntur in capitulīs librī cui titulus est FAMILIA ROMANA. Sī forte eadem vocābula in variīs fābulīs inveniantur, iterum iterumque explānantur, ut singulae fābulae per sē legī possint.

PRAEFATIO

Quīntus: "Nārrā nōbīs aliquam fābulam, Syra; nam tam bene sīve Graecās sīve Rōmānās fābulās nārrāre solēs, quae nōs multum dēlectant! Nēque in hortō lūdere possumus, quia, subitā tempestāte ortā, etiam nunc pluere nōn dēsinit. Nē avēs quidem audiuntur, quae, imbre et fulguribus territae, inter arborum folia et rāmōs sē occultant.

pluere = imber fierī; pluit = imber dē caelō cadit

Syra, quae bona et proba ancilla est: "Libenter" inquit "vōbīs fābulās nārrābō: tū vērō, Marce, cōnsīde iūxtā mē et silēns audī; tū, Iūlia, relinque pilam, et hūc venī, ad latus meum laevum. Sī bonī et probī eritis, neque silentium clāmōribus vel tumultū et strepitū rumpētis, multās et pulchrās fābulās nōn sōlum hodiē, sed etiam cotīdiē ā mē audiētis."


libenter *adv* = magnō cum gaudiō

***

Hōc librō fābulae continentur, quās Syra līberīs Iūliī et Aemiliae nārrāre solet. Iūlia, Marcus et Quīntus valdē hīs fābulīs dēlectantur. Spērāmus igitur vōs quoque, quī eās lectūrī estis, hīs Graecīs Rōmānīsque fābulīs dēlectārī posse. Quae certē ūtilēs erunt: nam quī hās pāginās leget, nōn modo rēs grammaticās et vocābula Latīna, quae in capitulīs XXV-XXXIV librī, cui titulus est FAMILIA ROMANA, iam cognōvit, certius discet ac memōria retinēbit, sed etiam nōn pauca verba alia facile discere poterit.

ūtilis -e = bonus ad ūtendum

memōria -ae *f*



Pygmalion puellae signum conficit

AD CAPITVLVM XXVI

1. Pygmaliōn

Pygmaliōn -ōnis *m*

Pygmaliōn vir Graecus fuit, quī magnam pecūniam, multōs amīcōs, multōs servōs habēbat. Fēminās vērō, quās superbās esse putābat, nūllās amābat.


superbus -a -um = quī aliōs nūllīus pretiī esse putat

Pygmaliōn arte suā multās rēs mīrābilēs cōnfēcerat, quās plūrimī hominēs valdē admīrābantur. Cotīdiē enim pulcherrima signa ex marmore faciēbat, quae tamen nōn signa, sed hominēs vīvī esse vidēbantur.

ad-mīrārī = mīrārī (rem magnificam)

marmor -oris *n* = māteria, ex quā signa et columnae sunt facta

marmor



Saepe Pygmaliōn cīvēs in tabernam suam vocābat, pulcherrima illa signa ostendēns: "Venīte ad spectandum" āiēbat, "virī et fēminae: pulchra haec signa aspicite: admīrāminī membra, manūs, pedēs, bracchia, crūra, colla, ōra, quae artem meam vōbīs dēmōnstrant: nam arte meā nātūram ipsam imitātus sum, quae vīvere meīs in signīs vidētur."

Virī Graecī et fēminae Graecae ad Pygmaliōnis tabernam accēdentēs cupidissimī erant signa spectandī, quōrum pulchritūdinem omnī modō laudābant: "Ō Pygmaliōn" āiēbant, "quam pulchra haec signa sunt! Nātūram enim nōn sōlum imitātus es, sed etiam superāvistī!" Omnēs dēlectābantur spectandō illa signa, mīrābilia exempla novissimae artis.

superāre = vincere

Tandem Pygmaliōn fōrmōsissimae puellae signum cōnfēcit, quae aureum capillum, caeruleōs oculōs, rubra labra habēbat. Cuius signī amōre captus, Pygmaliōn miserrimus factus erat et nocte pessimē dormiēbat: dolēbat enim signum, quamquam vēra atque pulcherrima puella esse vidēbātur, nōn vīvere, neque sibi respondēre amōrem suum fatentī.

caeruleus -a -um = caelī serēnī colōre

sibi Pygmaliōnī

Cotīdiē itaque Pygmaliōn, quī cupidus erat eam puellam

sacrificāre = bovem/ovem/porcum occīdere et deō dare
ōrāre = postulāre aliquid ab aliquō / ā deīs

vīvam aspiciendī, deōrum templa adīre solēbat ad sacrificandum et deōs deāsque ōrābat: spērābat enim flendō sē deōrum animōs mollīre posse; neque enim quisquam, nisi deus, illī signō vītam dare poterat.

pōnere posuisse positum
au-ferre abs-tulisse ab-lātum < ab-ferre
diū = per longum tempus | flēre -ēvisse
quae: puella
tergēre -sisse -sum
uxōrem ducere = uxōrem suam facere

Ōlim, postquam domum rediit, in cubiculum intrāvit, ubi pulcherrimum illud puellae signum posuerat. Nūllum tamen signum vīdit! Aliquem igitur illud abstulisse putāvit, atque cōnsīdēns diū flēvit. Subitō tamen fōrmōsissima fēmina ad eum accessit, quae aureōs capillōs, caeruleōs oculōs, labra rubra habēbat; quae Pygmaliōnī ex sellā suā surgentī, "Nōn iam signum" inquit, "sed puella vēra sum." Pygmaliōn tersit lacrimās et laetissimus puellam complexus ōsculātus est. Post brevissimum vērō tempus eam puellam uxōrem dūxit.

Virgīnia -ae *f*

2. Virgīnia

Virgīnius -ī *m*

Virgīnius vir Rōmānus fuit, quī pulchram fīliam habēbat, nōmine Virgīniam, quam valdē amābat. Ipse quoque ā fīliā suā amābātur.

Claudius -ī *m*
in-vidēre + *dat* = inimīcus esse ob bonum aliēnum
rapere rapuisse raptum = (impetū factō) capere et sēcum ferre
raptam ad se dūcī iussit: eam rapere et ad sē dūcī iussit

Ōlim, dum per viās ambulant, vir malus at dīves, nōmine Claudius, quī magnam pecūniam multōsque servōs habēbat, eōs vīdit. Claudius, quamquam dīves erat, tamen Virgīniō invidēbat, quod eum laetum esse atque pulchram fīliam habēre vidēbat. Quā dē causā cōnsilium eam rapiendī excōgitāvit. Vocāvit igitur servum et "Vidēsne" inquit, "Virgīniam, pulchram illam virginem?" Cuī servus "Ita, domine," inquit, "videō: mihi quoque pulcherrima vidētur esse." Claudius igitur puellam raptam ad sē dūcī iussit, dīcēns: "Curre, atque puellam raptam ad mē statim dūc!"

imperātum -ī *n* = quod imperātur
ōrāre = (vōce flentī) postulāre aliquid ab aliquō
currere cucurrisse
prō *prp* + *abl*; prō Virgīniā = in locō Virgīniae

Servus imperāta dominī statim fēcit; puella rapta clāmābat et servum ōrābat, quī tamen eius vōcem audīre nōn vidēbātur. Quamquam multī in viā ambulābant, nēmō ad iuvandum cucurrit: nam omnēs Claudium timēbant, cuius saevissimum servum bene nōverant: neque quisquam parātus erat ad moriendum prō Virgīniā.

audēre ausum esse (*perf dep*)

Patrī vērō fīliam raptam esse nūntiāvērunt; quī statim ad Claudium accēdēns clāmāvit: "Ō Claudī, quid est hoc? Quōmodo fīliam meam rapere ausus es? Nūllum enim malum tibi

fēcī, et fīlia mea virgō proba est. Redde igitur statim eam, sī vir es bonus."

Claudius autem rīdēns "Ō Virgīnī" inquit, "ipse dīvitissimus sum, tū autem pauper; ego multōs servōs habeō, quī mē dēfendere poterunt, sī necesse erit, tū vērō nūllōs: abī, stulte senex: tē enim contemnō, neque clāmōrēs tuōs cūrō."

senex senis *m* = vir annōrum plūs quam LX
contemnere = parvī pretiī putāre

Quibus superbissimīs verbīs audītīs, Virgīnius, gladiō sub palliō occultātō, ad fīliam suam accessit, dīcēns Claudiō sē ultimum eam complectī velle: gladium vērō in corpus eius mersit atque interfēcit. Dum igitur puella humī in sanguine suō iacet, "Fīlia mea" clāmāvit Virgīnius, "numquam ancilla tua erit, quamquam tū multōs servōs habēs, ego nūllōs!"

superbus -a -um = quī aliōs contemnit
ultimum *adv* ↔ prīmum

Cum prīmum autem Rōmānī Virgīniam mortuam vīdērunt atque tōtam rem, ut facta erat, audīvērunt, Claudium comprehēnsum ad mortem mittī iussērunt.

com-prehendere -disse -ēnsum < cum + prehendere | comprehēnsum ad mortem mittī iussērunt: eum comprehendere et ad mortem mittī iussērunt

3. Eurōpa

Eurōpa -ae *f*

Eurōpa bona et pulchra virgō Graeca fuit. Quae, dum cum aliīs puellīs in campō lūdit, currit, pilam iacit flōrēsque carpendō dēlectātur, subitō magnum et album taurum vīdit. Quem cum prīmum cōnspexērunt, amīcae eius perterritae fūgērunt clāmantēs.

Taurus autem nōn saevus esse vidēbātur: itaque Eurōpa, quae minimē metuēbat et taurum propius videndī cupida erat, ad eum accēdēns manū suā tetigit. Taurus mūgīvit; Eurōpa vērō herbās ex campō carptās taurō dedit, quī eās edendō laetābātur.

minimē: nūllō modō
tangere tetigisse tāctum | *eum* tetigit
mūgīre -ivisse = 'mū' facere
carpere -psisse -ptum
carptās dedit: carpsit et dedit

Deinde Eurōpa, audācior facta, lātum taurī tergum spectābat atque manū suā tangēbat. Tandem in eius tergum ascendēns cōnsīdit et "Ō amīcae, venīte, et mē spectāte!" inquit, "vidēte mē in taurī tergō sedentem!"

Statim autem taurus, quī humī iacēbat, surgēns ad maris ōram currere coepit. Eurōpa clāmāvit perterrita; amīcae eius flentēs et lacrimantēs, in lītus ad adiuvandum cucurrērunt, neque vērō Eurōpam, quae taurō vehēbātur, cōnsequī potuērunt: taurus enim, campō relictō, Ōceanum petīvit atque in magnōs maris flūctūs intrāns natābat.

currere cucurrisse
relinquere -līquisse -lictum



Europa tauro vehitur

Postquam vērō in altum pervēnērunt, "Nōn taurus" inquit, "sed Iuppiter, deōrum hominumque pater sum. Nōlī autem timēre: nōn enim malus sum, neque tibi nocēre volō; nam nōn nocendī causā, sed amōre tuī captus tē rapere cōnstituī." Eurōpa igitur, quae initiō valdē metuerat, timōrem suum dēposuit, neque iam flēbat. Mox vērō ad novam terram pervēnērunt, ubi taurus, puellā dēpositā, ad dīvīnam suam fōrmam rediit. Post breve tempus Eurōpam uxōrem dūxit et eam terram, ad quam simul cum eā pervēnerat, Eurōpam appellāvit.

per-venīre -vēnisse = advenīre
nocēre -uisse + *dat* ↔ iuvāre
nom tū, *gen* tuī | rapere rapuisse raptum = capere et sēcum ferre
metuere -uisse
dē-pōnere -posuisse -positum; d. timōrem = dēsinere timēre
dīvīnus -a -um < deus
uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

4. Cornēlia

Cornēlia -ae *f*

Cornēlia bona et proba fēmina Rōmāna fuit, quae duōs habuit fīliōs, quōrum alterī Tiberius, alterī Gāius nōmina erant. Fīliōs Cornēlia valdē amābat, atque ab iīs amābātur.

Tiberius -ī *m*

Ōlim fēmina Rōmāna, nōmine Tullia, Cornēliam vīsit, cupida ōrnāmenta sua ostendendī; quae, superbē mōnstrāns gemmās, quās in digitīs et in collō gerēbat, "Multās" inquit "novās et pulchrās gemmās habeō, quae mē valdē dēlectant: spectā! Aspice hōs ānulōs, hās līneās margarītārum, hās gemmās pretiōsās, quās mihi vir meus magnā pecūniā ēmit. Quam pulchra sunt haec ōrnāmenta! Nōnne tē dēlectant hae gemmae?"

Tullia -ae *f*
vīsere vīsisse vīsum = vīsum īre
superbus -a -um = quī aliōs nūllīus pretiī esse putat
pretiōsus -a -um = magnī pretiī

Cornēlia vērō quae tam superba verba audiendō nōn laetābātur, gemmās aspiciēns respondit: "Ita est, ō Tullia: mihi enim pulchrae videntur esse gemmae, quās marītus tuus tibi ēmit: certē ille valdē tē amat. Ego quoque tamen pulchrās gemmās habeō." "Ain' vērō?" ait Tullia, "Ō mea Cornēlia, ostende mihi pulchrās hās gemmās tuās! Studiōsissima enim sum eās aspiciendī!"

Cornēlia igitur surgēns vocat: "O fīliī, venīte hūc!" Tiberius et Gāius, mātris vōce audītā, accurrentēs in ātrium intrant. Quōs Cornēlia digitō mōnstrāns, "Ecce" inquit, "gemmae meae: fīliī enim meī ōrnāmenta mea sunt: nūllās aliās gemmās cupiō."

Tarpēia -ae *f*

5. Tarpēia

Sabīnī -ōrum *m pl*
Latium -ī *n*

Ōlim Sabīnī, quī in Latiō habitābant, magnō exercitū Rōmānōs, hostēs suōs, oppugnāvērunt. Quī quidem, portīs clausīs, urbem suam dēfendere cōnābantur.

strēnuus -a -um = fortis, impiger


Sabīnī vērō, fortissimē pugnantēs, urbem paene cēpērunt. Rōmānī, quī strēnuī militēs erant, brevēs gladiōs, galeās ex ferrō factās, longās hastās gerēbant, quibus semper parātī erant ad pugnandum; at Sabīnī quoque optima arma habēbant. In bracchiō sinistrō vērō, quō scūta tenēbant, armillās aureās gerere solēbant.

galea -ae *f*





armilla -ae *f*



Tarpēia, quae improba et mala puella Rōmāna fuit, ea Sabīnōrum ōrnāmenta, quae procul ex Rōmae moeniīs in sōle lūcentia cōnspexerat, habēre cupiēbat: eī enim pulcherrima esse vidēbantur.

noctū *adv* = nocte | ex-īre -iisse
per-venīre -vēnisse = ad-venīre
in-gredī -gressum esse = intrāre

Quoniam igitur cupidissima facta erat illud aurum habendī, noctū ex urbe exiit, quia Sabīnōrum castra petere volēbat. Postquam illūc pervēnit, "Ō Sabīnī" inquit, "sī mihi dabitis ea, quae in bracchiīs sinistrīs geritis, statim vōbīs portās aperiam et viam mōnstrābō, quā in urbem ingredī poteritis."

Itaque Sabīnī, quī cupidissimī erant urbem expugnandī, Tarpēiam secūtī, ad portās urbis pervēnērunt, quās Tarpēia statim aperuit. Hostēs, in urbem ingressī, impetū in Rōmānōs factō, brevī eōs vīcērunt atque magnam praedam cēpērunt.

vincere vīcisse victum | praeda -ae *f* = rēs quae in bellō ab hostibus capiuntur
in-cendere -cendisse -cēnsum = ignī dare
pretiōsus -a -um = magnī pretiī
au-ferre abs-tulisse ab-lātum (au- < ab-)
praemium = quod datur prō rē bene factā

Postquam multōs hominēs interfēcerant, domōs incenderant, ōrnāmenta, nummōs et aliās rēs pretiōsās abstulerant, iam fessī pugnandō, et studiōsī in patriam suam revertendī, Tarpēiam praemium exspectantem apud portās cōnspexērunt. "Ō Tarpēia" dīxērunt, "quamquam mala et improba fēmina nōbīs vidēris esse, dabimus tamen, ut pollicitī sumus, ea, quae in brachiīs nostrīs sinistrīs gerimus!" Tarpēia laeta ad mīlitēs accessit; quī quidem rīdentēs in eam nōn armillās, sed gravissima sua scūta iēcērunt! Tarpēia, multīs scūtīs oppressa, ad terram cecidit et mortua ibi iacuit.

op-primere -pressisse -pressum < ob + premere
iacēre -cuisse

AD CAPITVLVM XXVII

1. Mīnōs

Mīnōs rēx, quī Crētam īnsulam regēbat, ibi magnam et pulchram rēgiam, multōs servōs, magnam pecūniam habēbat; itaque superbus factus erat, atque deōs omnēs sibi favēre putābat sēque ab iīs omnia petere posse. "Mē prae cēterīs mortālibus beātum esse cēnseō: deī enim mē amant;" inquit, "sī enim ā deīs petō ut mihi dōnum dent, statim dōnum ad mē mittunt."

Ōlim, multīs hominibus spectantibus, ambulātum exiit et ōram maris petīvit; ibi vērō Neptūnum tālibus verbīs ōrāvit: "Ō Neptūne" inquit, "ōrō tē ut pulchrum taurum ad meam īnsulam mittās, quem tibi, marium omnium deō quī magnōs flūctūs excitās tempestātēsque sēdāre solēs, sacrificābō!"

Neptūnus ex fundō maris eum ōrantem audīvit et pulcherrimum magnumque taurum ad īnsulam Crētam mīsit, quem sacrificārī iussit.

Mīnos, ad taurum accēdēns, eum magnā cum cūrā spectāvit: postquam vērō vīdit taurum pulcherrimum esse, nōluit tam fōrmōsam bēstiam Neptūnō sacrificāre; servōs igitur suōs id facere prohibuit, eōsque iussit alterum taurum ex stabulō suō ad maris ōram addūcere: "Ō servī" inquit, "vōbīs imperō ut taurum minus pulchrum ex stabulō meō sūmātis: cūrāte tamen ut colōre sit similis huic, quem Neptūnus mīsit."

Vix haec dīxerat, cum servī, quī sevērum atque superbum rēgem timēbant, quam celerrimē potuērunt imperāta fēcērunt: itaque ad stabulum cucurrērunt unde alterum taurum ad lītus dūxērunt. Quō sacrificātō, Mīnōs servōs iussit sacrum tau-

rēgia -ae *f* = domus rēgis
superbus -a -um = quī aliōs nūllīus pretiī esse putat
favēre + *dat* = bene velle
petere (ab aliquō) = poscere




sēdāre ↔ turbāre
sacrificāre = bovem/ovem/porcum occīdere et deō dare

stabulum -ī *n* = locus quō pecora nocte redeunt
ad-dūcere

similis -e (+ *dat*) = quī īdem esse vidētur

imperātum -ī *n* = quod imperātur
currere cucurrisse

rum, quem Neptūnus mīserat, ad stabulum agere atque iānuās claudere: “Nunc magnā cūrā facite, ut nēmō hunc taurum videat: imperō vōbīs ut eum bene in stabulō occultētis.” Deinde rēx, laetus quod tam pulchrum taurum sibi parāvit, ad rēgiam suam rediit.


Herculēs


parāre; sibi p. = suum facere
intel-legere -ēxisse

Neptūnus tamen facile omnia intellēxit, quae rēx fēcerat. Īrātus igitur ad ōram maris vēnit; ad stabulum cucurrit, et, iānuā apertā, suum vīdit taurum in stabulō inclūsum. “Ō improbe Mīnōs!” exclāmāvit, “mē fallere voluistī! Efficiam igitur ut pulcherrimus ille taurus, quem tibi largītus eram, in saevum mōnstrum mūtētur!”

largīrī -ītum esse

Haec verba locūtus, ex stabulō taurum, quī ferōcissimus factus erat, ēmīsit; quī, in hominēs impetum īnfēstīs cornibus suīs faciēns, multōs virōs multāsque fēminās horrendā morte interfēcit. Incolae perterritī, quamquam fūnibus et hastīs ūtēbantur, taurum hūc et illūc currentem capere nōn poterant; nec ē tālī perīculō līberātī sunt, dōnec Herculēs, quī in Crētam vēnerat, illam saevissimam bēstiam tandem cēpit.

ē-mittere
īnfēstus -a -um = ad pugnam parātus
horrendus -a -um = terribilis


fūnis -is *m*


perīculum -ī *n* | līberāre = līberum facere
dōnec = dum, ūsque ad tempus quō
Herculēs -is *m* = Iovis fīlius, deus Graecus

2. Lātōna

Lātōna -ae *f*

Lātōna dea fuit, quam Iūnō, deōrum rēgīna, nōn amābat; itaque dē Olympō expulsam in terram mīsit, ubi ipsa maerēns per campōs silvāsque errābat. Ad ōram maritimam Lātōna postrēmō advēnit, ubi sīc Neptūnum ōrāvit: “Ō Neptūne, ōrō tē ut mē in īnsulam ferās in mediō marī sitam: optō enim ut ibi īrātam Iūnōnem tandem effugere possim!”

rēgīna -ae *f* = rēgis coniūnx
Olympus -ī *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant | ex-pellere -pulisse -pulsum
expulsam mīsit   expulit et mīsit
optāre = cupere


delphīnus

Neptūnus, eius precibus permōtus, parvam īnsulam ex Ōceanī fundō extulit; tum delphīnum ex altō marī ad Lātōnam mīsit, quī eam in dorsō suō sedentem ā lītore maris ūsque ad parvae illīus īnsulae ōram vēxit. Ibi vērō delphīnus eam exposuit; quae ab humilī lītore in alta saxa ascendit, unde prōspiciēns tōtum mare circā īnsulam spectāvit.

per-movēre -mōvisse -motum
fundus -ī *m* (*v. pāg.* 13)
ef-ferre ex-tulisse ē-lātum (< ex-)
delphīnus -ī *m*
dorsum -ī *n* = tergum bēstiae
vehere vēxisse vectum
ex-pōnere -posuisse -positum



Latona et agricolae in magnas ranas conversi


Locus erat amoenissimus; īnsula autem nōn fīxa stābat, sed, tamquam nāvis, modo hūc modo illūc flūctibus iactābātur. Lātōna vērō in īnsulā quae mōvēbatur vīvere nōlēbat.

animadvertere -vertisse

Iuppiter igitur, postquam hoc animadvertit, dē altō Olympō dēscendit atque catēnīs ferreīs īnsulam ad maris fundum vīnxit.

nāscī nātum esse: māter parit, līberī nāscuntur
Apollō -inis *m*, Diāna -ae *f*

Lātōna ergō in eā īnsulā habitāvit, sed, quod sōla erat, Iuppiter fīlium et fīliam eī dedit. Ita nātī sunt Apollō et Diāna, Lātōnae līberī, quōs ipsa valdē amābat; neque iam ab īnsulā discēdere volēbat: at inde quoque necesse fuit fugere: nam Iūnō eam persequēbātur.



sitīre = bibere cupere
ēsurīre = ēsse cupere

Duōs igitur īnfantēs, quī nōndum ambulāre poterant, in sinū suō portāns per variās terrās errābat et valdē fessa erat. Quamquam vērō sitiēbat et ēsuriēbat, neque aquam invenīre poterat, neque quisquam cibum eī largīrī volēbat: omnēs enim Iūnōnem īrātam metuēbant.

currere cucurrisse

ap-propinquāre + *dat* (< ad-) = prope venīre

pārēre -uisse

nēmō, *dat* nēminī

āēr, *acc Gr* āera
commūnis -e (+ *dat*) = nōn ūnīus sed omnium
petere (ab aliquō) = poscere

tendere

Ōlim, dum ambulat, subitō parvum lacum haud procul ā viā vīdit, ad quem laetissima statim cucurrit. Agricolae vērō, quī frūmentum in campīs metēbant, postquam eam cōnspexērunt ad lacum currentem: “Abī!” clāmāvērunt, “Nōlī aquae appropinquāre! Nisi statim discēdēs, cūrābimus nē aquam illam bibere possīs!” Quibus autem clāmantibus Lātōna nōn pāruit, et lacum petēns: “Cūr mē prohibētis aquīs?” inquit, “Omnēs līberē aquīs ūtuntur. Nātūra nēminī dedit sōlem, nec āera, nec aquam: dōna sunt omnibus commūnia. Ōrāns tamen ā vōbīs petō ut mē aquam haurīre sinātis; nōlō enim in lacū lavāre membra: tantum bibendī cupida sum, quoniam ōs est valdē siccum et vix loquī possum. Ōrō igitur vōs ut aquam mihi ad vīvendum necessāriam dētis. Nōnne hī quoque īnfantēs vōs movent, quī ex meō sinū ad vōs bracchia tendunt?”



movēre mōvisse mōtum

Agricolae vērō illī, quī ab aquā eam prohibēre volēbant, hīs verbīs nūllō modō mōtī sunt, sed, falcibus suīs in campō

relictīs, ad lacum ipsī quoque cucurrērunt, atque aquam pedibus manibusque turbāre coepērunt. Tunc Lātōna, quae aquam sordidam iam bibere nōn poterat, deōs deāsque hīs verbīs ōrāvit: "Ō deī bonī, sī soror vestra sum, ac mē adhūc amātis, cūrāte ut hī improbī agricolae, quī mē ab aquā prohibuērunt, sevērē pūniantur!"

re-linquere -līquisse -lictum
turbāre = turbidum (: sordidum) facere
pro-hibēre -uisse

Quibus verbīs audītīs, Iuppiter, deōrum omnium rēx, agricolās illōs prāvōs in magnās rānās convertit. Hanc ob causam etiam nunc rānae semper apud aquam aut in aquā ipsā vīvunt.



con-vertere -tisse
rāna -ae *f*

3. Phrixus et Hellē


Phrixus -ī *m* | Hellē -ēs, *acc* -ēn *f*

Athamās Graecōrum rēx fuit, quī, postquam eius uxor mortua est, alteram fēminam, nōmine Īnōnem, in mātrimōnium dūxit, quia parvum fīlium et parvam fīliam habēbat, quōs ipse alere nōn poterat.

Athamās -antis *m*
Īnō -ōnis *f* | mātrimōnium -ī *n*; in mātrimōnium dūcere = uxōrem suam facere

Īnō autem, cum prīmum in rēgiam īvit, neque puerum nōmine Phrixum neque puellam nōmine Hellēn amāvit eōsque ex rēgiā ad parvam casam quae in silvā sita erat, mīsit, ubi tamen Phrixus et Hellē laetī habitābant. Cotīdiē enim, gallō canente, ē lectīs surgēbant, māla edēbant et lac bibēbant, ac posteā ē casā in silvās et collēs currēbant, ubi parvās ovēs īnsequentēs vel flōrēs carpentēs lūdere per multās hōrās poterant. Vesperī vērō ē silvīs collibusque ad parvam casam redībant, ubi cēnam parābant. Tum dēnique fessī in cubiculum ībant, ubi dormiēbant.

regia -ae *f* = domus regis
casa -ae *f*




īn-sequī = sequī
parāre = parātum facere

Saepe vērō noverca ē rēgiā venīre solēbat eōsque spectābat lūdentēs. Īnō autem nōn gaudēbat quod vidēbat puerum puellamque tam laetōs esse, iīsque invidēbat: "Nōlō iam vidēre hōs puerōs tam laetē vīventēs. Cūrābō igitur ut Phrixus moriātur; profectō enim hōc modō efficiam ut soror quoque, post eius mortem, miseram vītam habeat."

noverca -ae *f* = uxor patris (quae māter nōn est)
invidēre + *dat* = inimīcus esse ob bonum aliēnum
morī -ior ↔ vīvere

Phrixum igitur ē casā ad rēgiam arcessere eumque interficere cōnstituit. Mercurius tamen, malō hōc cōnsiliō cognitō, aureum arietem, quī duās ālās habēbat, dē caelō mīsit; quī, cum prīmum ad eum locum pervēnit, ubi puer et puella habitābant, ā Phrixō cōnspectus est.



ariēs arietis *m*
per-venīre -vēnisse = advenīre

carpere carpsisse carptum
praebēre -uisse -itum = dare

īn-sidēre

dorsum -i *n* = tergum bēstiae


Puer igitur, nihil timēns, ad arietem accessit, eīque herbās dē campō carptās praebuit. Ariēs nōn erat saevus; ergō Phrixus, audācior factus, in bēstiae tergum ascendit et laetus clāmāvit: "Ō Hellē, exī ē casā, et spectā mē in tergō arietis īnsidentem!" Hellē, frātris vōce audītā, statim ē casā currēns exiit; neque ipsa metuit arietem, sed accēdēns in eius dorsum ascendit ibique post frātrem cōnsēdit.

re-linquere -līquisse -lictum
longinquus -a -um ↔ propinquus

dē-lābī -lāpsum esse

Hellēspontus -ī *m*

Ariēs vērō aureus sūrsum suprā humum sē levāvit et ex eō locō, ubi sita erat puerōrum casa, ēvolāvit. Mox puer et puella Graeciam relīquērunt, et suprā mare volantēs longinquās terrās petīvērunt. Hellē autem dēspiciēns magnōs flūctūs īnfrā sē vīdit; puella perterrita dē arietis dorsō dēlāpsa est; dum vērō cadit, "Ō frāter," clāmāvit, "ōrō tē ut auxilium mihi ferās!" Deinde, quatiēns bracchia et crūra dē summō caelō in mare cecidit ac mersa est, neque frāter eam servāre potuit. Ea maris pars, in quā Hellē mersa est, ā nōmine eius 'Hellēspontus' vocātur.



dracō circum arboris truncum sē volvēns



diū = per longum tempus
flēre -ēvisse

Colchis -idis *f*

ex-pōnere -posuisse -positum | sacrificāre = ovem /bovem/ porcum occīdere et deō dare

vellus -eris *n*

quercus -ūs *f*

dracō -ōnis *m*

truncus -ī *m* | volvere = circum (in orbem) vertere




Frāter diū flēvit; ipse tamen nōn cecidit, sed usque ad Asiae terram volāvit, quae Colchis appellātur. Ibi ariēs puerum exposuit, quī bēstiam deīs sacrificāvit. Tum aureum eius vellus ad Colchidis rēgem portāvit, quī: "Cūrābō" inquit, "ut hoc vellus aureum in rāmō altissimae quercūs pōnātur, quae in silvā prope rēgiam est." Dracō vērō saevus, quī in silvā vīvēbat, circum arboris truncum sē volvēns vellus per multōs annōs cūstōdīvit.

4. Comātās

Comātās servus fuit, quī in Graeciā habitābat, et cotīdiē caprās ovēsque dominī, quae in collibus et campīs pāscēbantur, cūstōdiēbat. Ovēs albae et nigrae in campīs herbā opertīs currēbant herbāsque carpēbant. Nocte silentī lūna et plūrimae stēllae in caelō serēnō lūcēbant; ovēs dormiēbant; Comātās vērō nōn dormiēbat, sed in altō saxō sedēns, dum ovēs cūstōdit, lūnam et stēllās in caelō sine nūbibus lūcentēs spectābat.

Comātās -ae *m*



operīre -uisse -rtum

Subitō autem novem pulcherrimās puellās vīdit, quās statim intellēxit novem Mūsās esse, deās artium canendī, scrībendī, saltandī. Quae, Comātā tacente atque spectante, laetae in campīs currēbant, saltābant, cantābant.


intel-legere -ēxisse
Mūsa -ae *f*
saltāre = arte salīre et membra movēre

Tandem Mūsae ex campīs illīs amoenīs ad Olympum, deōrum domum in altō monte positam, rediērunt.

Olympus -i *m* = mōns Graeciae, ubi deī et Mūsae habitant
pōnere posuisse positum

Māne, sōle oriente, Comātās parvum haedum captum ē grege in templō super āram Mūsīs sacrificat eāsque ōrat ut illud sacrificium accipiant. Dominus autem gregis ex urbe in praedium suum vēnit, quia voluit aspicere agricolās et pāstōrēs suōs quī in agrīs et campīs opus faciēbant. Cum prīmum gregem suum cōnspexit, ovēs et caprās numerāre coepit. Postquam vērō haedum abesse animadvertit, servō arcessītō, "Ō improbe serve," inquit, "ubi est haedus meus? Officium tuum est cūrāre nē ūlla ovis nēve ūlla capra dēsit! Ego cūrābō nē posthāc neglegēns sīs nēve dormiās!"


haedus -ī *m*
āra -ae *f* | sacrificāre = ovem/bovem/porcum occīdere et deīs dare
sacrificium -ī *n* < sacrificāre



animadvertere -vertisse
arcessere -īvisse -ītum

Comātās vērō perterritus, ad pedēs dominī sē prōiciēns, "Ō domine," respondit, "ōrō tē nē sevērē mē pūniās: nam in ārā haedum sacrificāvī Mūsīs, quae in campīs tuīs laetae saltābant."


Dominus autem īrātissimus prīmum baculō servum verberāre volēbat, deinde vērō in cubiculum dūxit, ubi magnam habēbat arcam, in quam miserum servum inclūsit. Comātās ibi vix spīrāre poterat, neque cibum neque aquam habēbat. Quoniam igitur sē moritūrum esse sentiēbat, "Ō Mūsae," inquit, "ōrō vōs, propter quās tālia ā dominō meō patior, ut mē ā morte servētis horrendā!"



morī ↔ vīvere

Mūsae ex altō Olympō eum ōrantem audīvērunt, et apēs ad arcam mīsērunt, quae, in cubiculum per parvam rīmam ingressae, in arcam intrāvērunt et Comātam melle aluērunt.

horrendus -a -um = terribilis



in-gredī -gressum esse ↔ ē-gredī
alere -uisse

Apēs igitur cotīdiē venientēs mel servō in arcā inclūsō ferēbant, quō eum ā morte servābant. Neque dominus eās, quae tam parvae erant, animadvertēbat.

diū = per longum tempus

Tandem dominus, putāns servum, quī tam diū in arcā clausus erat, iam mortuum esse, eam aperīrī iussit. Arcā tamen apertā, valdē mīrātus est, quod servum nōn mortuum, sed vīvum et bene valentem invēnit! "Cūr nōn mortuus es?" rogāvit. "Mūsae" respondit Comātās, "apēs cotīdiē mittēbant, quae mihi mel suum ferēbant, quō corpus meum alēbam." "Exī ex arcā!", inquit dominus, "Sī enim Mūsae tē amant, tē interficere nōlō."

Comātās laetus ex arcā exiit; tabernam igitur petīvit, in quā haedum ēmit, quem Mūsīs sacrificāvit, quia eum ā certā morte servāverant.

Corōnis -idis *f*

5. Corōnis

Apollō -inis *m* = deus lūcis et artis canendī

Corōnis pulchra fuit puella quae in Graeciā habitābat. Apollō, quī in silvīs et agrīs errābat, cum prīmum eam iīsdem in locīs laetē lūdentem cōnspexit, statim amāre coepit.

Accessit igitur ad puellam et, amōrem suum fassus, sīc loquī coepit: "Ō Corōnis," inquit, "ōrō tē ut mē audiās: ego tē amō; pulchrior enim deā mihi vidēris esse!", verbīsque magnificīs eam laudābat.

Corōnis autem, quae improba fuit puella, "Ego quoque" inquit, "tē amō, ō Apollō; ōrō igitur tē ut mē amāre pergās, nēve umquam mē dēserās!" Occultāvit vērō sē alium amāre virum. Deus tamen, quī hoc plānē ignōrābat, laetābātur quod tālia verba ex fōrmōsissimā virgine audiēbat, atque, Corōnidem vidēre cupiēns, cotīdiē dē summō Olympō dēscendere solēbat.

Olympus -ī *m* mons Graeciae, ubi dei habitant

Corōnis igitur Apollinem in silvā exspectābat: gaudēbat enim valdē, quod deus pulcherrimās gemmās ferēbat, quibus et digitōs et collum et bracchia ōrnāre poterat. Quoniam vērō Apollō illīs ōrnamentīs eam gaudēre animadvertēbat, "Ō mea Corōnis," āiēbat, "nōlī timēre: nam cūrābō ut cotīdiē novīs gemmīs novīsque margarītīs corpus tuum fōrmōsissimum exōrnētur."

ex-ōrnāre = ōrnāre



Apollo, mortua Coronide, albas corvi pennas in nigras convertit

corvus -ī *m* 

ōdisse ↔ amāre (ōderat ↔ amābat)

Apollō autem etiam corvum habēbat album, quī eum valdē amābat, puellam vērō ōderat. Dum igitur Corōnis et amīcus eius in silvīs errant atque inter sē ōscula dant, corvus, quī eōs cōnspexit, statim ad Apollinem volāvit et, "Ō Apollō," inquit, " tē monēre volō, nē crēdās puellae amōrem suum fatentī. Corōnis enim nōn tē, sed alium virum amat: nam malam illam puellam cōnspexī cum amīcō suō in silvīs errantem et lūdentem. Sī vīs, cūrābō ut tē ad eam cum amīcō ambulantem dūcam."

Apollō īrātus ex aureā sellā, in quā sedēbat, surgēns, dē Olympō dēscendit et ad silvās iit.

paenitēre -uisse; eum paenituit factī suī: doluit quod ita fēcit

carpere carpsisse carptum

herbās carptās dare cōnātus est: herbās carpsit et dare cōnātus est

frūstrā *adv*; frūstrā cōnātus est   cōnātus est, neque vērō potuit

Cum prīmum vērō puellam vīdit, sagittam in eam mīsit atque interfēcit: at continuō factī suī eum paenituit. Postquam enim eam mortuam et humī iacentem vīdit, trīstis subitō factus ac maerēns, herbās, quibus aegrōs sānāre solēbat, carptās eī dare cōnātus est. Frūstrā tamen: nam puella mortua in sanguine suō iacēbat.

convertere -tisse

Tunc Apollō corvum ad sē vocāvit et, "Improbe corve," ait, "Corōnis mea mortua est! Tū hoc voluistī!" Avem igitur pūnīre cōnstituit: itaque albās eius pennās in nigrās convertit. Hanc ob causam nunc omnēs corvī nigrī sunt.

AD CAPITVLVM XXVIII

1. Atalanta

Atalanta -ae *f*

Fuit ōlim pulcherrima puella, nōmine Atalanta, cui plūrimī virī, quī eam ita amābant ut uxōrem dūcere vellent, multa et pretiōsissima dōna ex variīs orbis terrārum partibus ferre solēbant. Atalanta autem nūllum ex illīs virīs amābat nec dōna eōrum accipere volēbat; quī vērō, cupidī eam uxōrem dūcendī, iterum iterumque salūtātum adībant eiusque pulchritūdinem verbīs magnificīs laudābant. Hoc igitur cōnsilium eōs dīmittendī causā excōgitāvit: virōs omnēs, quī eam uxōrem petēbant, ad cēnam apud sē vocāvit.

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere
pretiōsus -a -um = magnī pretiī


vīnum in pōculum funditur

petere = postulare (cupide)
cēna = cibus quī circiter hōrā nōnā vel decimā sūmitur

Postquam omnēs adfuērunt, servī vīnum in pōcula fūdērunt, quod virī, quī parātī erant ad audiendum, cupidē bibērunt. Dum vērō cibum in mensā appositum sūmunt, Atalanta "Ō virī," inquit, "ūsque ad hunc diem nūllum marītum habēre voluī, neque quisquam efficere potuit ut mē uxōrem dūceret nōlentem. Nōn ignōrātis tamen mē tam celerem esse in currendō ut nēmō umquam mē currentem adhūc cōnsequī posset. Sī igitur mē in mātrimōnium dūcere cupitis, parātī estōte ad currendum: ita currite ut mē vincātis, sī potestis! Sīn vērō ipsa vincam, continuō faciam ut interficiāminī!"

fundere fūdisse fūsum
bibere bibisse
ap-pōnere -posuisse -positum (< ad-)
mātrimōnium -ī *n*: in mātrimōnium dūcere = uxōrem suam facere

Haec verba locūta, servōs arcessīvit, quī locum ad currendum idōneum ostendērunt, cuius in ultimā parte duo saxa magna posuerant. Omnēs valdē timēbant: nam, etsī bene artem currendī didicerant, sciēbant Atalantam ventō celerius currere, neque facile vincī posse; eius tamen pulchritūdine captī, ac spērantēs sē, diīs iuvantibus, eam uxōrem ductūrōs esse, quamquam perterritī, currendō vincere cōnārī voluērunt.

arcessere -īvisse
idōneus -a -um = conveniēns
ultimus -a -um ↔ prīmus
pōnere posuisse positum


Hippomenēs -ae *m Gr* (*acc* -ēn, *voc* -ē)

Sedēbat haud procul ab eō locō atque forte, ab altō colle prōspiciēns, virōs illōs ad currendum parātōs spectābat adulēscēns nōmine Hippomenēs, quī, cupidus eōs propius aspiciendī, sine morā ad campum accessit quō omnēs currendī causā convēnerant.

iuvenis -īs *m* = vir circiter XXX annōrum

Postquam autem audīvit complūrēs ex illīs adulēscentibus ad mortem certam īre, "Nimis magnum" inquit, "est huius amōris pretium! Temerāriī mihi hī omnēs iuvenēs videntur esse, sī vēra sunt, quae dē Atalantae celeritāte nārrantur!"

Cum prīmum vērō pulcherrimam puellae faciem et fōrmōsissimum corpus, positā veste, vīdit, tam multum eam amāre coepit, ut spērāret nēminem currendō eam cōnsequī posse: ipse enim volēbat eius coniūnx fierī: nam eī pulcherrima esse vidēbātur omnium fēminārum, quās umquam vīderat.



tuba -ae *f*

Postquam servus tubā signum proficīscendī dedit, omnēs celeriter currere coepērunt: ante omnēs, sagittā celerior, currēbat Atalanta; cēterī vērō, cōnātī eam cōnsequī atque per longum spatium secūtī, tandem ita currendō fessī fuērunt, ut alius post alium cōnsisterent et victōs sē esse fatērentur: ex iīs complūrēs multīs cum lacrimīs maerēbant; nam sciēbant sē ad certam mortem missum īrī.




corōna

intereā = interim | currere cucurrisse
mēta -ae *f* saxum, quō fīnis currendī significātur
corōna -ae *f*
vincere vīcisse victum | *hominēs* victī
horrendus -a -um = terribilis

Atalanta intereā tam celeriter cucurrit ad mētam, quō prīma pervēnit, ut ālae in pedibus eius esse vidērentur. Eius caput corōnā cingitur; victī sine morā interficiuntur. At quamquam iī ad horrendam necem missī erant, Hippomenēs sine timōre mortis in cōnspectum puellae vēnit et "Cūr" inquit "facilem glōriam quaeris vincendō dēbilēs virōs? Mē vincere cōnāre! Sī victor erō, nōn dolēbis quod ā tantō tamque fortī virō superāris."

victor -ōris *m* = quī vīcit

mēta



Eum haec dīcentem Atalanta intuēbātur: quae, cum prīmum eum cōnspexit, ā tam pulchrō adulēscente sē victum īrī spērāvit et "Quī deus" inquit "tam saevē cupit istum perdere, ut eum cōgat mē uxōrem petere vītae perīculō? Discēde dum potes, puer, et vītam servā! Omnēs puellae cupient tē marītum habēre! Cūr tamen sī dē tuā morte cōgitō animus meus ita turbātur, tot virīs iam ante occīsīs? Ah, miser



Dum Atalanta consistit malum capiendi causa, Hippomenes ad metam currit

Hippomenē! Dignus erās vitā. Ūnus erās, cuius uxor fierī poteram!"

Ita loquēbātur, nec intellegēbat sē illum puerum iam amāre coepisse. Eī igitur persuādēre cōnābātur, nē temerārius esset nēve vītam āmitteret. Cīvēs vērō et ipse Atalantae pater cursūs quī solēbant fierī poscēbant, neque moram patiēbantur.

ā-mittere ↔ accipere
cursus -ūs *m* < currere

Hippomenēs igitur Venerem, amōris deam, invocāvit "Ō Venus, adiuvā mē, et amōrem, quem tū dedistī, dēfende!" Audīvit Venus haec verba, quae ventus ūsque ad eius aurēs tulit; sine morā igitur ad auxilium ferendum dēscendit ex Olympō et ad Hippomenem accessit; neque tamen quisquam alius eam vidēre poterat nisi Hippomenēs ipse. Cui dea tria māla aurea dedit et "Hīc sunt" inquit "tria aurea māla. Dum curris, iace prīmum mālum, deinde alterum, postrēmō tertium. Nōlī timēre! Ego, Venus, tibi auxilium feram!"

ad-iuvāre = iuvāre
Olympus -i *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant

Tubae signum dedērunt: Atalanta et Hippomenēs tam vēlōciter currere coepērunt, ut eōrum pedēs vix terram tangere vidērentur. Cīvēs clāmābant: "Nunc, nunc, properā, Hippomenē! Pelle morās: vincēs!" Tum Hippomenēs ūnum ē tribus mālīs prōmpsit et iēcit. Puella ita mīrāta est, ut, cupida aureum mālum sūmendī, brevem moram faceret. Hippomenēs eam praeteriit; at illa post brevem moram iterum puerum post terga relīquit. Quī rūrsus mālum iēcit; puella autem, ut illud tolleret iterum brevī cōnstitit; continuō vērō Hippomenēn cōnsecūta est.

vēlōciter = celeriter
properāre = celeriter īre
pelle mor*am* nōlī cōnsistere
praeter-īre -īvisse/-iisse -itum
relinquere -līquisse -lictum
brevī (tempore)
cōnsistere -stitisse

Postrēma cursūs pars restābat; Hippomenēs "Nunc" ait "adiuvā mē, ō Venus, quae haec mihi dōna dedistī!" et tertium iēcit mālum. Puella dubitāre vīsa est; at posteā cōnstitit mālum capiendī causā: Hippomenēs ad mētam cucurrit, quam prīmus cōnsecūtus est. Victor nōn modo vītam servāvit, sed etiam Atalantam uxōrem dūcere potuit.

re-stāre reliquus esse

2. Veturia

Veturia -ae *f*

Veturia fuit māter Gāiī Marciī, prūdentissimī ac fortissimī virī, quī, postquam Rōmānōrum exercitum contrā Volscōs dūxerat et Coriolōs, māximam eōrum urbem, expugnāverat, 'Coriolānus' ā cīvibus suīs appellātus erat. Ob

Volscī -ōrum *m pl*: hominēs quīdam quī Latium incolēbant
Coriolī -ōrum *m pl*: urbs Volscōrum

eius magnam glōriam Rōmānī prīmum Coriolānum valdē laudābant et admīrābantur; posteā vērō tanta facta est eius potestās, ut cīvēs eī invidērent eumque ad mortem dūcere vellent: nōn tamen ausī sunt tam fortem virum interficere, quī patriam ab hostibus servāverat. Imperāvērunt igitur ut ex urbe discēderet nēve umquam posteā redīret.

invidēre + *dat* = inimīcus esse ob bonum aliēnum
audēre ausum esse (*perf dep*)
velle, *coni imperf.*
vellem vellēmus
vellēs vellētis
vellet vellent

Ergō Coriolānus, Rōmā pulsus, ad Volscōs cōnfūgit, quī ōlim hostēs eius fuerant, iīsque persuāsit, ut Rōmānōrum urbem oppugnārent. Id multō facilius iīs persuādēre potuit, quod sē ipsum eōs ductūrum esse prōmīsit, quī et urbem Rōmam et modum, quō Rōmānī pugnāre solēbant, optimē nōverat. "Rōmā discessī" āiēbat Coriolānus, "ut certam mortem vītārem, ad quam mē cīvēs meī mittere volēbant; nunc ipse, vōbīs iuvantibus, plūrimōs cīvēs meōs ad Īnferōs mittam, ubi umbrae mortuōrum versārī dīcuntur! Animus enim meus tam īrātus est, ut nūllō aliō modō tranquillior fierī possit!"

cōn-fugere < cum-
discēdere -ssisse

Magnus igitur Volscōrum numerus, Coriolānō duce, Rōmam oppugnāvit; castrīs circā urbem positīs, tam multīs pugnīs Rōmānōs vīcērunt, ut iī, quī in apertīs campīs nōn iam audēbant cum tam fortibus hostibus pugnāre, vellent potius intrā mūrōs sē tenēre, unde urbem dēfendere cōnābantur.

pōnere posuisse positum
vincere vīcisse victum

Complūrēs diēs Volscōrum exercitus ita Rōmānōs intrā urbis moenia inclūsōs tenuit, ut tandem omnī cibō et aquā carērent. Tunc Rōmānīs necesse fuit lēgātōs ad Volscōrum castra mittere: nam spērābant sē Coriolānō persuadēre posse, ut saevum cōnsilium oppugnandī patriam mūtāret atque ā moeniīs cum tōtō exercitū discēderet.

tenēre -uisse
lēgātus -ī *m* = nūntius

Lēgātī igitur, postquam ad Volscōrum castra vēnērunt, Coriolānum multīs precibus ōrāvērunt nē patriam iam oppugnāret. Ille vērō, eōrum precibus minimē mōtus, iīs ut abīrent īrātus imperāvit, dīcēns 'sē neque Rōmānōs, ā quibus tam indignē pulsus erat, iam amāre, neque dē patriā, quae suōs fīliōs laudem ac glōriam merentēs tam turpiter ē fīnibus ēiceret, multum cūrāre'; immō dīxit 'eam nē nōmine quidem patriae dignam esse'

minimē = nūllō modō
fīnēs -ium *m pl* = terra (intrā fīnēs)

Lēgātī, tālī respōnsō acceptō, ad urbem rediērunt. Postquam vērō Coriolānī verba audīvērunt, mīrābantur

accipere -cēpisse -ceptum

senātor -ōris *m* = cīvis nōtus quī Romae magnam potestātem habēbat

senātōrēs, et perterritī ac valdē turbātī erant cīvēs, perīculum sibi impendēns timentēs.

Volumnia -ae *f*

complectī -xum esse

līberāre = līberum facere

Tunc Veturia, Coriolānī māter, et Volumnia uxor parvōs fīliōs trahēns, ad hostium castra vēnērunt, et virum ōrāvērunt nē Rōmae nocēret nēve cīvibus suīs quidquam malī afferret. Tandem māter, uxor līberīque, eius genua complexī ac lacrimantēs, animum Coriolānī mōvērunt eīque persuādēre potuērunt ut ab urbis moeniīs discēderet: victus igitur eōrum precibus, postquam suōs dīmīsit, Coriolānus agrum Rōmānum ab hostium exercitū līberāvit. Volscī tamen, īrātī, eum ad mortem dūcī iussērunt.

Nausicaa -ae *f*

3. Nausicaa

Alcinous -ī *m*

Phaeācēs -um *m pl* | Scheria -ae *f*

prūdentia < prūdēns

Diāna -ae *f.* Iovis fīlia, *Nymphārum* domina

Nymphae -ārum *f pl*: deae silvārum et flūminum

Nausicaa fuit pulcherrima puella, fīlia Alcinoī rēgis, quī in īnsulā Phaeācum, nōmine Scheriā, magnā cum prūdentiā rēgnābat. Ōlim Nausicaa cum aliīs puellīs et ancillīs suīs in ōrā maritimā pilā lūdēbat: illa, sīcut Diāna inter Nymphās, omnium fōrmōsissima esse vidēbātur. Cēterīs puellīs "Celeriter currite" clāmābat, "hūc, hūc pilam iacite!" Imperābat Nausicaa ut ad sē pilam mitterent ancillae, quam deinde ipsa, manūs extendēns, captam ad ancillās versus iaciēbat. Pila ā puellā ad puellam volābat, neque umquam ad terram cadēbat, quia puellae tam cupidae erant eam capiendī, ut cadere nōn sinerent.

diū = per longum tempus

Ulixēs -is *m*

Postquam vērō diū hōc modō inter sē magnō cum gaudiō lūsērunt, rēgis fīlia pilam ad ancillam tam altē iēcit, ut illa capere nōn posset; cecidit autem in mare flūctūsque eam ita sēcum trāxērunt, ut mergerētur: itaque puellae simul omnēs tam magnā vōce clāmāvērunt, ut Ulixēs, nōtissimus ille Graecōrum dux, quī in silvā prope lītus dormiēbat, subitō excitārētur.

co-orīrī -ortum esse (< cum-) = subitō orīrī

Ulixēs enim, quī multōs annōs per maria errāverat, tandem, magnā tempestāte coortā, tam valdē flūctibus iactātus erat, ut, nāve frāctā, in Phaeācum lītus ēicerētur, ubi, fessus, longum somnum cēperat. Dum vērō illās puellās spectat, sīc sēcum loquitur: "Heu, mē miserum! Quōrum in terram vēnī? Quae sunt illae puellae? Utrum sunt bonae et

probae, an ferōcēs, saevae atque inhūmānae? Utrum hūmānus clāmor ad meās aurēs pervēnit, an Nymphae clāmāvērunt, quae in montibus habitant? Quīn ipse rem experior? Nam in tantīs tamque multīs perīculīs versātus sum, ut nunc nihil iam timeam."

experīrī: (rem) e. = cognōscere quālis sit (rēs)
versārī -ātum esse

Haec locūtus, ē silvā ēgrediēbātur Ulixēs; ex arbore quādam rāmum multīs cum foliīs frēgit manū, ut partēs pudendās sibi tegeret. Perrēxit autem īre, velut leō quī dēscendit dē montibus; nūdus et sordidus tamque terribilis vīsū erat, ut puellae omnēs, cum prīmum eum cōnspexērunt, hūc et illūc fugerent animō turbātae.

pudendus -a -um < pudēre; partēs pudendae: partēs corporis, quās nōn decet nūdās mōnstrāre | tegere tēxisse tēctum = operīre
pergere perrēxisse

Sōla autem Alcinoī fīlia mānsit: eam enim diī audācem fēcerant; metū igitur dēpositō, stetit, Ulixem spectāns, quī ad eam versus veniēbat.

manēre mānsisse
dē-pōnere -posuisse -positum = dīmittere, relinquere | stāre stetisse

Ulixēs autem, eam intuēns, nesciēbat quid faceret: tandem vērō hīs verbīs eam precātus est: "Utrum dea an mortālis es? Sī enim mortālis es, beātissimī sunt parentēs, beātissimī frātrēs; profectō eōrum animī semper laetantur, cum vident tē, quae sīcut flōs es eōrum domūs pulcherrimus; omnium vērō beātissimus ille erit, quī tē uxōrem dūcet: nōndum enim tālem mortālem vīderam oculīs, neque virum neque mulierem: fōrmam tuam et pulchritūdinem admīror. Herī ē flūctibus maris, quibus vīgintī diēs iactātus sum, effūgī; saeva tempestās in hoc lītus mē pepulit, ut adhūc, fortasse, etiam hīc mala paterer, sīcut iam aliīs in locīs passus sum; tū vērō adiuvā mē: tibi enim prīmae hīs in terrīs occurrī: cēterōrum hominum, quī hanc urbem et regiōnem incolunt, nēminem nōvī. Urbem vērō mihi ostende, ōrō tē, et dā vestem ad corpus tegendum."

precārī -ātum esse (< precēs) = ōrāre
uxōrem dūcere = uxōrem suam facere
ad-iuvāre = iuvāre
occurrere -risse

Sīc autem respondit candida puella: "Iuppiter suam cuique partem bonī et malī dat; cum igitur mala nōbīs dat, oportet patī. Nunc vērō, quoniam ad nostram urbem et terram vēnistī, neque vestīmentīs, neque aliīs rēbus egēbis. Urbem tibi ostendam, in quā pater rēgnat meus: sum enim ego fīlia Alcinoī, Phaeācum rēgis."

candida: pulchra
bonum -ī *n* ↔ malum
egēre + *abl* = (rē necessariā carēre)

Arcessīvit igitur Nausicaa ancillās, quae perterritae hūc et illūc fūgerant, iīsque imperāvit ut Ulixem lavārent in fluviō

arcessere -īvisse

et tunicā palliōque vestīrent. Ulixēs vērō ancillīs “Stāte, ōrō vōs,” inquit “procul, dum ego ipse corpus lavō: nam pudet mē nūda membra ante puellārum oculōs ostendere.”

similis -e (+ *dat*) = quī idem esse vidētur
caelum lātum (= in caelō lātō) habitant

optāre = cupere

carēre -uisse

Postquam autem corpus lāvit, tam pulcher erat, ut sīc Nausicaa cum ancillīs loquerētur: “Initiō quidem mihi ille vir foedus esse vidēbātur; nunc vērō diīs similis est, quī caelum lātum habitant; ō ancillae! Nēmō mihi persuādēbit eum nōn esse rēgem quendam, vel fortissimum ducem. Optō ut ille dēlectētur hīc apud nōs manendō, et meus fīat marītus! Vērum date eī cibum, et vīnum, ut edat et bibat: diū enim, crēdō, cibō caruit.” Ulixēs igitur prīmum sūmpsit cibum, deinde vērō cum Nausicaā et ancillīs urbem petīvit, ubi ā rēge et rēgīnā acceptus est.

velle, *coni imperf.*
vellem vellēmus
vellēs vellētis
vellet vellent

Post cēnam autem rēx eum rogāvit ut sibi nārrāret unde et quōmodo venīret, quō īre vellet. Ulixēs igitur, quī statim dīxit sē esse cupidum in patriam redeundī, multīs cum lacrimīs trīstem fābulam suam omnibus, quī ibi aderant, nārrāvit.

parāre = parātum facere


vehere vēxisse vectum
posterus -a -um (< post) = sequēns

Rēx, tālī fābulā audītā, tam mōtus est animō, ut Ulixem omnī modō iuvāre vellet. Imperāvit itaque ut nāvis parārētur, quā vectus Ulixēs in patriam suam redīre posset. Ergō posterō diē Ulixes omnibus ‘valē’ dīxit et nāvem cōnscendit, ut tandem post tot annōs domum suam reverterētur.

Nausicaa autem trīstissima erat: postquam nāvis, quā Ulixēs vehēbātur, prōfecta est, in altum saxum ascendit; unde prōspiciēns diū nāvem abeuntem oculīs secūta est. Lacrimae vērō ex eius oculīs lābēbantur, neque quisquam aderat, quī eam maerentem cōnsōlārī posset.

Cyparissus -ī *m*

Apollō -inis *m* = deus lūcis et artis canendī



cervus -ī *m*

Nymphae -ārum *f pl*: deae silvārum et flūminum

4. Cyparissus

Cyparissus fōrmōsissimus adulēscēns fuit, quī ab Apolline dīligēbātur. Cotīdiē per silvās et campōs errāns, ferās, quae ibi versābantur, persecūtus capiēbat.

Dēlectābātur vērō ingentī quōdam cervō quī magna et lāta cornua in capite gerēbat, quae Nymphae aurō gemmīsque ita ōrnāverant ut etiam in obscūrā silvā lūcērent; ipse cervus, sine metū, hominum domōs adīre solēbat, quī, manūs extendentēs, eius collum tergumque tangēbant. Ille enim



Cyparissus, cervo sagitta percusso, ob animi dolorem in arborem mutatur

collum manibus, quamquam ignōtīs, nōn sine gaudiō offerēbat.


Prae cēterīs Cyparissus eum tam multum dīligēbat, ut cotīdiē ad novōs campōs dūceret, ut bonam herbam ēsset, et ad rapidōs fluviōs ageret, ut pūram aquam biberet; flōribus variōrum colōrum cervī cornua mīrābilī modō ōrnābat, et, tamquam eques, in eius tergō sedēns hūc et illūc vehēbātur.

Ōlim vērō, quoniam āēr calidissimus erat, circā merīdiem cervus fessus suum corpus in herbōsā terrā posuit sub altae arboris umbrā, ut frīgus ibi caperet. Cyparissus autem, imprūdēns, dum suō arcū in silvā lūdit, sagittā cervum sub arbore cubantem forte percussit; cum vērō, accurrēns, eum morientem vīdit, ita turbātus est animō, ut ipse cum cervō morī vellet.

Apollō, quī, postquam puerī clāmōrēs audīverat, ad eum maerentem accurrerat, multīs verbīs eum cōnsōlārī cōnābātur; neque tamen facere potuit ut miserrimus puer minus ob dīlēctissimae bēstiae mortem dolēret. Plōrābat enim ille, ac multīs cum lacrimīs flēbat; tam trīstis erat, ut vīvere iam nōllet; immō, ā deīs inter lacrimās petīvit, ut sibi flēre sine fīne licēret. Et iam membra in viridem colōrem vertī atque capillī, quibus candida frōns operiēbātur, horrēre coepērunt: Cyparissus tunc arbor factus est alta et rigida, cuius pars summa caelum stēllīs ōrnātum spectāre vidēbātur.

Apollō igitur, trīstis ad arborem accēdēns, “Ego” inquit, “semper tē flēbō, amīce; tū vērō aliōs flēbis et dolentibus hominibus omnī tempore aderis!”

Hoc est cūr arborem, quae ex illō puerō Graecē ‘cyparissī’, Latīnē vērō ‘cupressī’ nōmen habet, prope amīcōrum nostrōrum sepulcra pōnāmus.



sepulcrum

ignōtus -a -um ↔ nōtus

of-ferre (< ob-) = sē datūrum esse ostendere

rapidus -a -um (< rapere) = celerrimus

herbōsus -a -um < herba

pōnere posuisse positum

im-prūdēns -entis ↔ prūdēns

per-cutere -cussisse -cussum

accurrere -currisse

velle, *coni imperf.*

vellem vellēmus

vellēs vellētis

vellet vellent

dīlēctus -a -um = quī dīligitur

nōllet nōn vellet | petere: poscere

viridis -e = herbae colōre

rigidus -a -um = dūrus

adesse + *dat* = auxilium ferre



cupressus -ī *f*

sepulcrum -ī *n* = locus ubi homō mortuus ponitur

5. Alcēstis

Alcēstis bona et proba uxor Admētī fuit, quī eam Graeciae regiōnem, quae Thessalia appellātur, tam bene regēbat, ut nōn modo incolīs, vērum etiam deīs, et prae cēterīs Apollinī, cārissimus esset.

Postquam vērō Admētus ad quadrāgēsimum aetātis annum pervēnit, Apollō eī in cubiculō suō versantī "Mox" inquit "pallida mors ad tē veniet, quae imperābit ut ad Īnferōs dēscendās, unde nēmō rediit umquam. Magnō igitur in perīculō versāris; petīvī tamen ā Parcīs, ut, aliō homine prō tē datō, tot annōs posthāc vīverēs, quot iam vīxistī; ergō, sī aut pater aut māter aut uxor aut amīcus quīdam prō tē morī volet, tū mortem effugiēs, atque inter vīvōs multōs adhūc annōs manēre poteris. Ergō cūrā, ut inveniās aliquem, quī prō tē sit ad moriendum parātus, nē Thessalī rēge suō careant."

Ut tempestātēs mare tranquillum turbāre solent, ita verba Apollinis animum Admētī turbāvērunt. Pater vērō, cubiculum ingressus, fīlium colōrem mūtāvisse animadvertit et "Quid pallēs, fīlī?" inquit "Utrum aegrōtās an territus es?" Fīlius autem id, quod Apollō dīxerat, patrī nārrāvit, eumque rogāvit, ut prō sē ad illud rēgnum dēscenderet, ubi umbrae mortuōrum versārī dīcuntur. At pater, manum extendēns ac fīliī manum apprehendēns, multīs cum lacrimīs "Quis" inquit, "tam fortis est, ut ipse mortī sine metū occurrat? Quamquam enim tē multum dīligō, fīlī mī, nesciō quid faciam: nam timor mortis animum meum vincit." Admētus ā patre tam maerēns discessit, ut prae animī dolōre loquī nōn posset.

Ad mātrem igitur accessit, cui persuādēre cōnātus est ut prō sē morerētur. "Ō māter," inquit "saepe dīxistī tē deōs deāsque omnēs ōrāvisse, ut mihi longissimam beātamque vītam darent: nunc autem vidē: nisi quis prō mē ad Īnferōs dēscendat, brevī ātra mors mē rapiet, neque umquam ad vīvōs redībō. Adiuvā mē, sī mē amās!" Māter autem, etsī valdē dolēbat quod tantum perīculum fīliō impendēbat, mortem prō eō adīre nōn audēbat; Īnferōs enim ita timēbat, ut dē iīs cogitāns tōtō corpore tremeret.

Alcēstis -is *f*
Admētus -i *m*
Thessalia -ae *f*: regiō Graeciae
incola -ae *m/f* = quī/quae incolit
Apollō -inis *m* = deus lūcis et artis canendī
cārus -a -um = quī dīligitur
aetās -ātis *f* = annī quōs aliquis vīxit
petere = poscere
Parcae -ārum *f pl* = trēs deae quae fīlum aetātis hūmānae circum vertunt
Thessalī -ōrum *m pl*: cīvēs Thessaliae
in-gredī -gressum esse ↔ ē-gredī
animadvertere -vertisse
rēgnum -ī *n* = rēgis imperium
discēdere -ssisse
ad-iuvāre = iuvāre

Tum Alcēstis, quae Admētum tōtam rem nārrantem, parentēsque 'sē nōlle prō eō morī' dīcentēs exaudīverat, "Ō Admēte, dīlēctissime coniūnx," inquit "tē plūs quam vītam meam amō; sine morā parātissima sum ad moriendum; Plūtōnis rēgnum prō tē petam, unde negant redīre quemquam; hoc ūnum tamen tē rogō, ut līberōs nostrōs etiam post mortem meam bene cūrēs et doceās; ōrō quoque nē meī, quae tantum tē amāvī, oblīvīscāris."

dīlēctus -a -um = quī dīligitur
Plūtōnis rēgnum: Īnferōs
ego, *gen* meī

Postquam Alcēstis tālia dīxit, Mors, adveniēns, eam raptam ad mortuōrum rēgnum sēcum trāxit. Servī et ancillae, maerentēs, āmissam dominam, quam omnēs amābant, diū multumque flēvērunt.

ā-mittere -mīsisse -missum ↔ accipere
diū = per longum tempus
flēre -ēvisse

Mox vērō Herculēs, virōrum fortissimus, mortālis fēminae et Iovis fīlius, quī per Thessaliam errābat, ad rēgiam Admētī perveniēns, postulāvit ā rēge, ut sibi fessō cibum vīnumque daret.

Herculēs -is *m* = Iovis fīlius, deus Graecus
rēgia -ae *f* = rēgis domus

Admētus, etiamsī ipse māximē maerēbat ob uxōris mortem, nihil tamen dē eā rē dīxit, sed servīs imperāvit, ut cibum et vīnum optimum ad mēnsam afferrent. Ipse vērō poposcit ab Hercule, ut sineret sē īre dormītum, atque discessit.

etiam-sī = quamquam, etsī

Dum autem ēst et bibit, animadvertit Herculēs ancillās servōsque trīstissimōs esse ac lacrimāre, cuius reī causam interrogat. Quī dē dominae suae morte nārrāvērunt; "Nescīs tū" inquiunt "mala quae sunt in hāc domō: dominus enim noster nihil tibi dīxit, nē animum tuum turbāret: coniūnx Admētī periit; quī tamen, nē cōgerēris aliam domum invenīre, tē excēpit, atque nōbīs imperāvit, ut tibi, hospitī omnī honōre dignō, cibōs appōnerēmus. Ille vērō uxōrem mortuam in cubiculō suō flet."

cōgere < cum + agere; ne cōgerēris: nē necesse tibi esset | ex-cipere -cēpisse -ceptum = accipere, admittere
hospes -itis *m* hospitēs sunt amīcī quōrum alter alterum apud sē semper bene accipit
honōs -ōris *m* = signum laudis, laus

Herculēs igitur surgēns magnā vōce clāmat: "Ad Īnferōs dēscendam, ubi cum Morte ipsā pugnābō, ut, victa, tam probam fēminam marītō vīvīsque reddat! Nōlīte timēre: mox rēgīnam ad rēgiam redūcam!"

re-dūcere

Haec locūtus, relictīs servīs, ad Plūtōnis rēgnum cucurrit, ubi Mortem fortissimē oppugnātam vīcit, atque Alcestim ad coniugem suum, quī vix oculīs suīs crēdēbat, redūxit.

relinquere -līquisse -lictum
currere cucurrisse
vincere vīcisse victum

AD CAPITVLVM XXIX

1. Orpheus et Eurydicē

Eurydicē -ēs *f*

Orpheus nōbilissimus fidicen atque poēta ēgregius fuit, quī inde ā puerō tam pulchrē canēbat, ut nōn sōlum bēstiae ferae ad eum accurrerent, vērum etiam rapida flūmina cōnsisterent, nē strepitū cantum eius turbārent, ac saxa ipsa arborēsque (mīrābile vīsū!) ad audiendum venīrent.

ēgregius -a -um = melior cēterīs, optimus

inde ab ↔ ūsque ad

Cum igitur Orpheus Eurydicēn, pulcherrimam virginem, valdē amāret neque iam sine eā vīvere posset, eam uxōrem dūcere cupiēbat, quae tamen eius amōrem contemnere vidēbātur. Brevī vērō, cum cotīdiē trīstissimum Orpheī dē suō amōre dēspērantis cantum in silvīs audīret, virginis animus ita permōtus est, ut ipsa eius amōre magis magisque caperētur.

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

con-temnere = parvī aestimāre

trīstissimum cantum

Laetī igitur et māximō amōre coniūnctī, Orpheus et Eurydicē ad nūptiārum diem pervēnērunt; quī tam fēlīcēs omnibus esse vidēbantur, ut nēmō fortūnam eōrum umquam mūtārī posse putāret. Tanta tamen erat eōrum laetitia, tam grātae omnibus illae nūptiae, tam multae omnium laudēs, ut Aristaeus, pāstōr quī iam anteā Eurydicēn amāverat, nōn sōlum trīstitiā, vērum etiam magnā invidiā afficerētur, cum sē nihil iam ex virgine spērāre posse vidēret. Cum igitur illa in silvā versārētur ubi flōrēs carpere volēbat, ut mēnsam ōrnāret, Aristaeus, quī post arborem sē occultābat, eam persequī coepit.

nūptiae -ārum *f* = dies quo vir et femina coniugēs fīunt

grātus -a -um = qui dēlectat

Aristaeus -ī *m*

Eurydicē, cum prīmum hoc animadvertit, tantō illīus virī metū affecta est, ut, omnia perīcula oblīta, per altās herbās et inter dūra saxa nūdīs pedibus celerrimē curreret, ut ab eō fugeret et ad Orpheum, marītum suum amātissimum, redīret. Cum vērō iam eum haud procul stantem vidēret, et ut sibi


animadvertere -vertisse

cum... vidēret, et *cum*... clāmāret



Cum Orpheus canat, bestiae ferae et ipsae arbores ad audiendum veniunt

auxilium ferret clāmāret, serpēns, quī in herbā latēbat, eius nūdum pedem dextrum momordit; quō morsū statim misera fēmina periit.



serpēns -entis *f*
latēre = se occultāre
morsus -ūs < mordēre

Tum Orpheus, quī, uxōre mortuā, dē suā quoque vītā dēspērābat: "Heu!" exclāmāvit, "Quid nunc faciam? Quid spērem? Quōmodo vīvam posthāc? Cūr mē īnfēlīcem relīquistī, mea cārissima coniūnx? " Per multōs diēs, trīstis et maestus, neque cibum neque aquam sūmere voluit. Postquam autem multīs cum lacrimīs amātissimae uxōris mortem flēvit, cum sentīret sē nūllō modō sine Eurydicē vīvere posse, audācissimum cēpit cōnsilium: cum enim iam parvī aestimāret vītam, postquam tam iūcunda sibi uxor ērepta erat, id facere cōnstituit, quod nēmō anteā cōnārī ausus erat, nec ūllīs perīculīs dēterrēbātur.

īn-fēlīx -īcis ↔ fēlīx
relinquere -līquisse -lictum
cārus -a -um = quī dīligitur
flēre -ēvisse
iūcundus -a -um = quī dēlectat
audēre ausum esse (*perf dep*)

Ad mortuōrum igitur rēgnum dēscendere voluit, ut a Plūtōne, rēge Īnferōrum, quī ibi cum Proserpinā, eius coniuge, imperābat, peteret ut Eurydicē sibi redderētur. Itaque tam temerārius fuit, ut, sūmptīs fidibus suīs atque itinere sub terrā factō, ad illum terribilem rēgem pervenīret, quem, cum iam omnia cētera sua dēspērāret, id ūnum ōrāvit, ut sibi licēret uxōrem sēcum in vītam et ad sōlis lūcem redūcere: "Permitte mihi, Plūtō," aiēbat lacrimāns, "meam coniugem mēcum referre, ut cum eā reliquam vītam vīvam!" Quod vērō cum sē haud facile impetrāre posse vidēret, interrogāvit num sibi licēret carmen canere. Rēx et rēgīna, cum studiōsī essent eius cantum audiendī, quia iam quanta eius canendī ars esset sciēbant, id eī permīsērunt. Sūmptīs igitur fidibus, Orpheus tam pulchrē canere coepit, ut nōn sōlum mortuōrum umbrae, allectae sonō, accurrerent, vērum etiam dūrissimī rēgis rēgīnaeque animī tam trīstī cantū movērentur: quī, maestā Orpheī vōce ad fidēs canentis audītā, ita perturbātī sunt, ut dubitāre inciperent utrum eī uxōrem redderent an in suō rēgnō retinērent.

rēgnum -ī *n* = rēgis imperium
Proserpina -ae *f*
petere (ab aliquo) = poscere
iter itineris *n* < īre
re-ferre
impetrāre = cōnsequī (id quod poscitur)
rēgīna -ae *f* = rēgis coniūnx

Postquam vērō ille fīnem canendī fēcit, Plūtō sīc locūtus est: "Tū, Orpheu, cantū tuō animōs nostrōs vīcistī: redī igitur ad superōs, et tēcum Eurydicēn dūc, hāc tamen lēge, nē respiciās nēve ūllō modō uxōrem intueāris, antequam ad vītam

vincere vīcisse victum
superī -ōrum *m pl*: hominēs vīvī
lēx lēgis *f*
re-spicere-spexisse -spectum ↔ prōspicere

lūcemque redeās: quod sī aliter faciēs, numquam iterum coniugem tuam vidēbis!”

accipere -cēpisse -ceptum

dēsīderium -ī *n* = cupiditās (reī āmissae)

ārdēre = ūrī (animō)

ferē = paene

īnsānia -ae *f* = animus nōn sānus

crūdēlis -e = saevus atque inhūmānus

retrō = illūc unde vēneram (←)

circum-dare -dedisse -datum = cingere

Quā lēge acceptā atque magnā laetitiā affectus Orpheus, quem Eurydicē mūta sequēbātur, ad superās terrās redīre coepit. Cum vērō iam procul sōlis lūcem aspiceret, neque ūllum sonum post sē audīret, dubitāns num Eurydicē sē sequerētur, tantō metū captus est, ut iam dēsīderium uxōris rūrsus videndī, quō ārdēbat, retinēre nōn posset: cōnstitit igitur nōn iam patiēns morae, et ferē sub ipsā lūce, amōre victus, respexit. Tunc illa: “Quae īnsānia” inquit, “ et mē et tē perdidit, Orpheu? Ecce: crūdēlis fortūna mē iterum retrō vocat; mortis somnus oculōs rūrsus operit. Iam valē! Ad Īnferōs iterum trahor, obscūrā nocte circumdata, ad tē frūstrā extendēns manūs, mī vir: heu! nōn iam tua erō...

fūmus -ī *m*

āēr, *acc Gr* aera



noctū *adv* = nocte

Cum tālia dīceret, ut fūmus in aera ē cōnspectū fūgit, neque Orpheum vidēre potuit frūstrā prehendentem umbrās, et multa volentem dīcere. Quid ille faceret? Quō īret, coniuge bis ēreptā? Quō flētū, quā vōce Plūtōnis et Proserpinae animōs movēret? Prohibēbat rēx Īnferōrum, nē iterum ad suum rēgnum vīvus dēscenderet.

spernere = parvī aestimāre

iuvenis -is *m* = vir circiter XXX annōrum

Diē flēbat, flēbat noctū Orpheus, quī, hominēs fugiēns, in silvīs cum ferīs errābat, neque ūllam iam fēminam vidēre volēbat: ūnam Eurydicēn quaerēbat, eam sōlam invocābat, cēterās omnēs spernēbat. Tunc fēminae īrātae eum pūnīre cōnstituērunt: noctū igitur eum circumdedērunt et saevē necāvērunt: deinde miserī iuvenis membra, ex corpore scissa, per campōs in variās partēs iēcērunt. Cum vērō aquae flūminis, in quod erat ēiectum, caput ē collō ēreptum sēcum traherent, vōx ipsa et frīgida lingua vocābant: “Eurydicē, Eurydicē...

Cerēs -eris *f* | Prōserpina -ae *f*

2. Cerēs et Prōserpina

largīrī -ītum esse

Cerēs est dea frūmentī et frūgum omnium, quae in agrīs crēscunt et ab agricolīs metuntur, cum prīmum mātūrae videntur esse. Ipsa hominibus sēmina largīta est atque mōnstrāvit quōmodo in agrōs spargerent ac sererent, ut terra magnam frūmentī cōpiam ferret.



Cum primum Orpheus respicit, Eurydice ad Inferos iterum trahitur

col-ligere -lēgisse -lēctum ↔ spargere

com-mūtāre < cum-mūtāre

Hominēs magnī aestimāvērunt illud deae beneficium, quō māximā laetitiā affectī sunt, cum vidērent sē, agrōs colendō, nōn sōlum facilius līberōs et uxōrēs cotīdiē alere, vērum etiam tantam frūmentī cōpiam colligere posse, ut aliīs hominibus vēnderent aut cum aliīs mercibus ad vītam necessāriīs commūtārent.



calathus -ī *m*

sinus -ūs *m* (*v. pāg.* 16)

viola -ae *f*



nūntiāre < nūntius

Ōlim Prōserpina, Cereris fīlia virgō, cum aliīs puellīs in campīs Siciliae laeta errābat lūdēns et aut violās aut candida līlia carpēns, calathōs ac sinum eō cōnsiliō implēbat, ut cēterās amīcās flōrēs colligendō vinceret. Apud lacum currēbat amoenum, quem pulcherrima silva cingēbat novīs foliīs modo vestīta; avēs canentēs vēr nūntiābant, et sōl clārā suā lūce omnia ita illūstrābat, ut nūllum perīculum puellīs lūdentibus impendēre vidērētur.

simul ac = eōdem tempore quō, cum prīmum

līberāre = līberum facere

At Plūtō, rēx et deus Īnferōrum, cum forte per superās terrās currū suō vectus errāret, simul ac Prōserpinam in campīs flōrēs carpentem cōnspexit, subitō tantō eius amōre affectus est ut eam sēcum in loca sub terrā sita dūcere cōnstitueret. Sine morā eam rapuit, quae, territa, et mātrem et amīcās clāmāns vocābat; cum vērō sē ex deī bracchiīs līberāre cōnārētur, omnēs flōrēs, quōs collēgerat atque in sinū tenēbat, scissīs vestibus, sparsī sunt; deum quoque ōrābat ut sibi parceret atque sē ad mātrem suam redīre sineret.

iter itineris *n* < īre

Postquam vērō vīdit Plūtōnem nūllum verbum respondēre, sed iter ad loca īnfera pergere, cum iam vītam dēspērāret, id ūnum ōrāvit, nē nimis saevē sē occīderet; cui deus ille rīdēns: "Quid ais" inquit "ō pulcherrima virgō? Nōn sōlum nūllum ā mē maleficium patiēris, sed etiam rēgnābis mēcum apud Īnferōs, neque misera erit vīta tua: ego enim tē tam multum amō, ut tantum laetitiā animum tuum afficere cupiam." Hīs verbīs Plūtō perterritam virginem cōnsōlātus est; agēns deinde currum, equīs celeriter currentibus, ad locum pervēnit, ubi terra, sceptrō percussa, sē aperuit ut iīs viam ad Īnferōs faceret.

scēptrum -ī *n* = baculum quō rēgis imperium significātur | per-cutere -cussisse -cussum

intereā = interim

noctū *adv* = nocte

tenebrae -ārum *f pl* ↔ lūx

At intereā māter, magnō metū affecta, fīliam in omnibus terrīs quaerēbat, in omnibus rīvīs, in omnibus maribus; neque diē neque noctū quiescēbat: etiam per obscūrās frīgidāsque tenebrās, fīliae sibi ēreptae vestīgia reperīre cōnābātur. "Heu,

quid faciam?" clāmābat, "Quid spērem? Quōmodo fīliam meam inveniam?"

Postquam vērō per tōtum terrārum orbem frūstrā errāvit, in Siciliam rediit, ubi tandem, apud locum ubi terra patuerat ut Plūtō et Prōserpina ad Īnferōs dēscenderent, cingulō fīliae inventō, eam ab Īnferōrum rēge raptam esse intellēxit. Tum dea clāmāns et maerēns multīsque cum lacrimīs hūc et illūc currēns capillum et vestem scindēbat, atque iterum iterumque manibus pectus percutiēbat; terrās ipsās omnēs reprehendēbat, quās frūgum dōnō indignās esse dīcēbat; Siciliam ante omnēs, in quā vestīgia Prōserpinae raptae invēnerat. Īrāta igitur effēcit ut non iam fertilēs terrae essent: frūmentum moriēbātur in agrīs; et modo sōl nimis ārdēns, modo magnus imber iactūram frūgum faciēbat: ventī quoque nocēbant agrīs, et cupidae avēs sēmina sparsa carpēbant.

patēre -uisse

cingulum -ī *m*



intel-legere -ēxisse -ēctum

Deinde ad Iovem in summum Olympum ascendit eumque interrogāvit num scīret ubi esset Prōserpina et quid faceret; quī quidem respondit eam apud Īnferōs rēgnāre et uxōrem Plūtōnis factam esse. Māter prīmum ad haec verba, quasi in saxum conversa, stupuit; tum "Mī Iuppiter" inquit, "tua quoque fīlia Prōserpina est; ecce, tandem, postquam diū quaesīvī, eam repperī: sī 'reperīre' vocās, 'scīre ubi sit' Aequō animō feram eam ā Plūtōne tam indignē raptam esse: si modo eam reddat! Neque enim marītō praedōne fīlia tua digna est!"

Olympus -ī *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant

con-vertere -tisse -sum

stupēre -uisse

diū = per longum tempus

Cui Iuppiter "Certē fīliam meam ego quoque dīligō; sed Plūtō eam amat et eō cōnsiliō rapuit, ut uxōrem dūceret. Nōnne beneficium potius quam maleficium hoc tibi esse videtur? Est enim Plūtō frāter meus, est rēx Īnferōrum: nōn tam indignus marītus Prōserpinae erit."

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

Negāvit Cerēs, quae omnī modō fīliam ad sē redūcere volēbat. "Nihil est miserius" ait, "quam līberōs āmittere: permitte eī prōtinus ad mātrem revertī! Ōrō tē ut mihi miserae parcās!"


Cum igitur Iuppiter vidēret Cererem fīliā carēre nūllō modō posse, permīsit ut illa reverterētur: "Redīre tamen poterit" inquit, "sī modo nūllum cibum apud Īnferōs sūmpsit."

Gaudet Cerēs et iam spērat sē brevī fīliam complectī posse; nōn ita tamen fit. Nam Prōserpina, dum errat in hortīs



Pluto Proserpinam rapit, quae matrem clamans vocat

quī sub terrā sunt, mālum Pūnicum ex arbore carpserat; ex quō mālō septem grāna sūmpta ēderat. Māter autem, hāc rē cognitā, cum intellegeret fīliam prohibērī nē in terrās et ad sōlem redīret, īrāta effēcit ut in agrīs nūllum iam frūmentum crēsceret, neque ūllī flōrēs campōs ōrnārent.


mālum Pūnicum

grānum -ī *n* = sēmen
sūmpta ēderat = sūmpserat et ēderat

Tunc Iuppiter Mercurium, deōrum nuntium, ad Plūtōnem, frātrem suum, mīsit, hoc ūnum ōrāns, ut Prōserpinam ad mātrem revertī sineret; nōn tamen cōnsequī potuit ut per tōtum annum in lūce vīveret, sed tantum ut quotannīs sēnōs mēnsēs in terrā vīvōrum habitāret, sēnōs vērō apud Īnferōs versārētur.

cōnsequī = precibus efficere
sēnī - ae -a = VI et VI...

Quam ob rem etiam nunc per dīmidium annum frūgēs et flōrēs habēmus, cēterīs vērō mēnsibus frīgora sunt, imbrēs et nivēs.

3. Arethūsa


Arethūsa -ae *f*

Arethūsa fōrmōsissima nympha fuit, quae ūnā cum Diānā, Apollinis sorōre ac silvārum deā, per montēs et vallēs eō cōnsiliō errābat, ut bēstiās ferās persequerētur.

nympha -ae *f* = nymphae sunt deae minōrēs silvārum et flūminum
Diāna -ae *f*
Apollō -inis *m* = deus lūcis et artis canendī

Cum vērō ōlim Arethūsa, postquam diū per silvās cucurrerat, domum sōla redīret, ad rapidum fluvium pervēnit, cuius frīgidae aquae, nūllō modō turbidae ac percussae radiīs sōlis, quī in mediō caelō sine nūbibus fulgēbat, ita illūstrābantur ut nympha ipsōs calculōs in īmō flūmine iacentēs cernere posset. In flūminis rīpīs altae arborēs, quārum in rāmīs avēs suīs vōcibus pulchrē canēbant, umbram quasi offerre vidēbantur. Aqua flūminis tam lentē currēbat, ut in utram partem flueret oculīs cernī nōn posset.

diū = per longum tempus
currere cucurrisse


radius -ī *m*

per-cutere -cussisse -cussum
fulgēre = clārē lūcēre
calculus -ī *m* 
rīpa -ae *f* = lītus flūminis
of-ferre (< ob-) = dare, sē datūrum esse ostendere

Locī amoenitāte allecta, et corpus sūdōre ac terrā sordidum lavandī cupida, Arethūsa, veste positā, in fluviī aquās intrāvit ac prīmum pedēs et crūra, deinde ventrem, tum pectus, tōtum dēnique corpus ūsque ad collum mersit.

amoenitās -ātis *f* < amoenus


sūdor -ōris *m*

Cum ita in mediō flūmine nūda natāret ac frīgidārum aquārum beneficiō gaudēret, subitō vōcem audīvit, quae "Ō Arethūsa" clāmāvit, "audī verba mea!" Cum autem nympha vōcem quidem audīret, nēminem vērō quī loquerētur cernere posset, ita perterrita est, ut, ex aquīs sine morā ēgressa, continuō ad rīpam curreret, ut ex illō locō terribilī quam celerrimē fugeret.

con-vertere -tisse -sum
Alphēus -ī *m*

Ipsum tunc flūmen, in ingentem fōrmam hūmānam conversum, ē mediīs aquīs surrēxit et magnā vōce: "Ō Arethūsa" iterum inquit, "nōlī fugere! Quō curris? Alphēus sum, huius flūminis deus, quī postquam tē tam pulchram cōnspexī, tantō amōre sum affectus, ut sine tē iam vīvere nōn possim! Manē, ō fōrmōsissima nymphārum!"

re-linquere -līquisse -lictum
ārdēre -sisse = ūrī (animō)

At Arethūsa tam perturbāta est, ut, oblīta sē in alterā rīpā vestem relīquisse, alteram partem fugiendō peteret; itaque, sīcut erat, fūgit sine vestibus. Alphēus vērō, cum eam nūdam vidēret ex aquīs ēgredientem, etiam magis amōre ārsit. Arethūsa currēbat; ille autem ferus eam persequēbātur, ut aquilae parvās persequuntur avēs, quae, perterritae, inter rāmōs et folia arborum trementēs sē occultāre cōnantur.

operīre -uisse -rtum

Neque cōnstitit nympha, sed per campōs, per montēs arboribus opertōs, per vallēs obscūrās ubi nūlla erat via, per saxa tam celeriter currēbat, ut ex pedibus multum sanguinis flueret. Nec vēlōcior erat Alphēus: sed tandem Arethūsa tam fessa fuit, ut iam currere non posset. "Heu! Quid faciam?" inquit, "Quōmodo fugiam? Ubi mē occultem?" Pedum sonō terrebātur; capillī in capite horrēbant, cum terribilem illum deum appropinquantem audīret. Tunc "Auxilium fer, Diāna!" invocat, "Sī mē amās, quae saepe et arcum et sagittās tibi tulī, servā mē!"

im-mittere (< in-)

Diāna, sīc invocāta, animō valde mōta est; itaque ex altō caelō nūbem in nympham suam immīsit, quā eam occultāret. Alphēus frūstrā eam sīc nūbe opertam quaerēbat et ignārus bis aspexit stupēns omnia loca atque vestīgia circā nūbem in quā dea Arethūsam occultāverat; bis etiam "Arethūsa! Arethūsa!" vocāvit. Arethūsae vērō tunc tālis animus fuit, quālis est agnō, cum lupum audit in silvā ululantem.

discēdere -ssisse


gutta -ae *f*





fōns fontis *m*

Alphēus tamen nōn discessit: nam nūlla vestīgia pedum aliīs in locīs cernere poterat. Cūstōdiēbat igitur locum et nūbem, exspectāns tempus quō nympha apparēret. Tum sūdor frīgidus Arethūsae per membra ita fluēbat, ut guttae dē tōtō corpore caderent; sī forte pedēs movēbat, lacus oriēbātur; ex capillīs aqua lābēbātur: et celerius quam nārrārī possit, in fontem mūtātur.



Diana ex alto caelo nubem in Arethusam immittit, qua eam occultat

Ortygia -ae *f*
Syrācūsae -ārum *f pl*: urbs Siciliae
ē-dūcere

Cum prīmum vērō Alphēus amātās aquās cognōvit, positā hominis fōrmā, quam eō cōnsiliō sūmpserat, ut Arethūsam persequī posset, in flūmen iterum sē convertit, ut sē cum nymphā coniungeret. Diāna igitur terram aperuit; Arethūsae aquae, mersae in humum apertam, sub terrā Ortygiam, ad īnsulam prope Syrācūsās sitam, vectae sunt, ubi dea ad lūcem et sōlem eās iterum ēdūxit. Alphēus vērō, trīstis ac maerēns, omnī āmissā spē, ad locum ubi iam anteā fluēbat rediit.

iter itineris *n* < īre

Posteā autem Iuppiter, tantō illīus fluviī dolōre mōtus est, ut eum sineret sub marī longum iter cōnficere, ut ex Graeciā Siciliam peteret, ac nymphae, quam tam valdē amābat, occurreret.

Pandōra -ae *f*

4. Pandōra

Promētheus -ī *m*
Ūranus -ī *m* = deus caelī antīquissimus
nepōs -ōtis *m* = fīlius fīliī/fīliae
ā deīs
egēre = (rē necessariā) carēre
cultus -ūs *m* < colere

Iuppiter, quī deōrum est prīnceps et terrās caelumque suā potestāte regit, valdē īrātus erat, quod Promētheus, Ūrānī nepōs, ignem deīs surreptum hominibus dōnāverat; quī, hōc beneficiō ūsī, tam multās invēnerant artēs tamque meliōrem suam vītam reddiderant, ut deōrum auxiliō nōn iam egēre vidērentur: itaque cum Iuppiter hominēs vidēret, neglectō deōrum cultū, terrās multīs maleficiīs implēre, eōs sevērē pūnīre cōnstituit, modumque excogitāvit, quō malīs anteā ignōtīs eōs perdere posset. Vulcānum igitur fīlium arcessīvit, eumque iussit mulierem ex aquā et terrā cōnficere, quae fōrmā pulcherrima esse vidērētur.

petere: poscere

Vulcānus, quī arte suā multās rēs mīrābilēs cōnficere solēbat, quamquam id quod Iuppiter petēbat haud facile factū erat, brevī tempore opus perficere potuit.

Minerva -ae *f*: Iovis fīlia, dea artium

Deōrum quisque, Iove iubente, fōrmōsissimae virginī ita cōnfectae aliquod dedit dōnum, ut illa hominēs allicere posset: Minerva enim pulcherrima ōrnāmenta eī dōnāvit, Mercurius vērō cōnsilia, quibus hominum animōs falleret, aliī aliās rēs dedērunt.


Epimētheus -i *m*

Iuppiter igitur fēminam illam 'Pandōram' vocātam (quod nōmen Graecōrum linguā 'omnibus dōnīs ōrnātam' significat) Mercuriō trādidit ut ad Epimētheum, Promētheī frātrem,

dūceret. Quī, quamquam ā frātre monitus erat nē ūllum dōnum ā Iove missum acciperet, cum prīmum fōrmōsissimam illam virginem vīdit, tam multum eius pulchritūdine allectus est, ut, amōre captus, statim eam uxōrem dūcere cuperet. Plūris enim aestimāvit tam pulchram coniugem domī sēcum habēre, quam frātrī dē perīculō monentī pārēre. Laetus igitur domum petīvit cum eā fēminā et omnibus dōnīs pretiōsīs (in quibus etiam magnum vās erat), quibus dī eam ōrnāverant.

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

vās vāsis *n*



Iuppiter magnum illud vās Pandōrae dederat, eīque imperāverat nē umquam illud aperīret, sed clausum magnā cum cūrā cūstōdīret; nam in illō vāse Iuppiter, quī mortālēs pūnīre volēbat, omnia mala inclūserat. Mulier vērō cotīdiē vās aspiciēbat, cupida videndī quid in eō continērētur. "Heu, quid faciam?" sē ipsa interrogābat, "pāreamne Iovī an vās aperiam?" Fēmina, quae animō valdē perturbāta erat, nesciēbat quid faceret: saepe tam cupida erat īnspiciendī quid in illō vāse inesset, ut manum extenderet ad aperiendum; sed continuō manum retrahēbat, ut īram Iovis vītāret.


mortālēs -ium *m pl* = hominēs

īn-spicere = dīligenter aspicere

Tanta tamen erat cupiditās īnspiciendī, ut sē ā maleficiō retinēre nōn posset. Accessit igitur ad vās et "Brevī" inquit, "tantum īnspiciam quid contineat; nihil tangam; nēmō animadvertet mē aperuisse: nam iterum claudam et omnia repōnam eō locō quō nunc sunt. Quid malī fierī potest?" Nūllō igitur perīculō dēterrita, Pandōra eō cōnsiliō vāsī appropinquāvit, ut illud aperīret.

Cum prīmum autem leviter operculum sustulit, subitō omnia mala, omnēs morbī omnēsque dolōrēs ex illō vāse exiērunt atque longē lāteque per tōtum terrārum orbem sparsī sunt. Cum haec vidēret, Pandōra, quae perterrita erat, prōtinus vās, operculō repositō, clausit: at iam omnia mala effūgerant atque per terrās omnēs omnēsque domūs errābant. In vāse nihil iam remanēbat, nisi rērum futūrārum spēs, quam hodiē quoque mortālēs, inter tot mala, quibus afficiuntur, semper in animīs colunt.

operculum -ī *n*



tollere sustulisse sublātum

morbus -ī *m*: qui aegrōtat *morbō* afficitur

5. Niobē

Niobē -ēs *f* (*acc Gr* -ēn)
mortālēs -ium *m pl* = hominēs
pārēre peperisse
immortālēs -ium *m pl* = diī
con-temnere = parvī aestimāre, nōn timēre
Lātōna -ae *f.* dea Iovis fīlia
dēbilis -e ↔ validus
tot-idem *indēcl* = īdem numerus
Apollō -inis *m* = deus Lātōnae fīlius
Diāna -ae *f* = dea Lātōnae fīlia
Olympus -i *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant
superbus -a -um = quī aliōs contemnit
colere -uisse
āra -ae *f* (*v. pāg.* 19)
audēre ausum esse (*perf dep*)

Niobē fēmina Graeca fuit, cui septem fīliī septemque fīliae erant. Hīs vērō līberīs, quī omnibus pulchrī et fortēs vidēbantur, tantā laetitiā afficiēbātur, ut sē mortālium fēlīcissimam esse crēderet. Tam magnī sē ipsa aestimābat, quae tot fīliōs fīliāsque pepererat, ut, cum nūllum deōrum plūrēs līberōs quam sē habēre vidēret, ipsōs immortālēs contemneret.

Cum igitur suōs cīvēs novum Lātōnae templum aedificantēs cerneret, iīs persuādēre cōnābātur nē id facerent, nēve dēbilem illam deam duōs tantum līberōs habentem tam magnī aestimārent, nēve eam nimis multum verērentur.

“Nōnne vidētis” inquit, “meam potestātem māiōrem esse quam Latōnae? Ecce, faciē nōn sum minus pulchra; praetereā septem mihi sunt fīliae et totidem fīliī adulēscentēs, quī mox omnēs līberōs habēbunt. Sum fēlīx: quis enim neget hoc? Et fēlīx manēbō: quis dubitet? Tanta est enim mihi līberōrum cōpia, ut, etiam sī fortūna mala ūnum et alterum tollat, mihi tamen multō plūrēs relinquat. Fortūna igitur mihi nocēre nōn potest, neque eam metuō. Aspicite vērō quam misera sit Lātōna, quam vōs colitis et timētis: nōn nisi duōs līberōs habet, Apollinem et Diānam!”

Lātōna autem, quae tālia verba ex altō Olympō audīverat, līberōs suōs īrāta arcessīvit et “Ista fēmina superba” inquit, “dubitat simne ego, māter vestra, dea; et eius verbīs fit ut hominēs, quī per tot saecula mē coluērunt, ā meīs templīs et ab ārīs prohibeantur; neque hic dolor est sōlus: nam ausa est suōs līberōs plūris quam vōs aestimāre!” Cum alia vellet dīcere, Apollō “Dēsine,” ait “iam satis est: eam sevērē pūniēmus, ut intellegat hominem cum dīs immortālibus certāre nōn posse!” Idem dīxit Diāna.

Uterque igitur ad urbem, in quā Niobē cum līberīs suīs habitābat, pervēnit. Prope moenia erat lātus campus, in quō currere solēbant equī, et iuvenēs currū certābant. Ibi cōnscenderant equōs duo ex septem Niobēs fīliīs; prīmus vērō, cum equum currentem eō cōnsiliō verteret, ut ad urbem redīret, “Heu mihi!” subitō exclāmavit, sagittā in mediō pec-


tore percussus: habēnīs ex morientibus manibus dēlāpsīs, iuvenis ā dextrō latere ad terram cecidit.

Audītō sonō, frāter, quī proximus erat, equum suum virgā pulsat, ut currat: fugientem autem adulēscentem sagitta, ex Apollinis arcū missa, cōnsequitur et in collō fīgitur. Lābitur ille in equī iubam, et terram calidō sanguine foedat. Tertius et quārtus ex fīliīs, postquam operī cotīdiānō fīnem imposuerant, in palaestram īverant, ut validiōra corporis membra facerent: cum vērō iam alter alterum luctandō complecterētur, ūna sagitta eōs ita iūnctōs trānsfīxit. Simul clāmāvērunt ob dolōrem; simul membra in solō posuērunt; simul oculōs clausērunt; simul dēnique animam efflāvērunt.


virī luctantēs

Alphēnor, fīliōrum quīntus, eōs cadentēs aspicit, et continuō accurrit, ut frīgida corpora complectātur: cadit et ipse; nam Apollō intima viscera eī rumpit ferrō. Cum vērō amīcī, quī apud eum stābant, ferrum ēdūxērunt, ūnā cum sagittā cruentā pars pulmōnis est extracta. Damasichtōn, sextus fīlius, percussus erat in eā corporis parte ubi crūs incipit; dumque manū cōnātur trahere tēlum, altera sagitta eī collum trānsfīxit. Ultimus, nomine Īlioneus, ōrābat ut sibi dī parcerent: Apollō eius precibus lacrimīsque animō movēbātur, sed sagitta iam missa revocārī nōn poterat.

Clāmōrēs pervēnerant ad aurēs mātris, cui cīvēs maestī fīliōrum mortem nūntiāvērunt. Heu! Quam dissimilis fuit haec Niobē ab illā quae paulō ante, superba, cīvibus dissuāserat nē Lātōnam colerent! "Quid faciam?" clāmābat, "Quid spērem? Quōmodo vīvam posthāc sine fīliīs meīs?" Tam misera erat, ut etiam eius inimīcī lacrimārent. Sē prōiēcerat in frīgida corpora et omnēs fīliōs ōsculābātur; deinde tollēns bracchia ad caelum: "Pāsce" inquit "ferum cor tuum meō dolōre, crūdēlis Lātōna: vīcistī!" Lacrimābat; at posteā, subitō: "Cūr 'vīcistī'? Mihi, etsī misera sum, plūra manent quam tibi, quae fēlīx esse dīceris: adhūc septem habeō fīliās! Etiam post tot fīliōs mortuōs, vincō!"

iuba


per-cutere -cussisse -cussum
habēnae -ārum *f pl*
dē-lābī = lābī
proximus -a -um *sup* (< prope)
iuba -ae *f*
foedāre = foedum facere
cotīdiānus -a -um < cotīdiē
fīnem impōnere = fīnem facere
palaestra -ae *f* = locus ubi membra arte moventur ut validiōra fīant
luctārī
trāns-fīgere = per/trāns medium corpus percutere
ef-flāre (< ex-); animam e. = morī
intimus -a -um *sup* < intrā
ferrō: sagittā
ē-dūcere
ex-trahere (< ex-)
tēlum -ī *n* = pīlum vel sagitta
ultimus -a -um = postrēmus
nūntiāre < nūntius
dissimilis -e = quī non īdem esse vidētur
dis-suādēre + *dat* ↔ persuādēre
crūdēlis -e = saevus atque inhūmānus



Apollo et Diana Niobes liberos sagittis interficiunt

Nē dīxerat quidem haec, cum aliae sagittae ex Diānae arcū missae sunt, quae nōn ūnam Niobēn, sed omnēs quī aderant terruērunt. Subitō sex sorōrēs, quae ātrīs vestīmentīs vestītae stābant ante corpora frātrum et mātrem cōnsōlārī cōnābantur, alia post aliam, cecidērunt neque mortem effugere potuērunt; ultimam tōtō corpore māter tegēbat, clāmāns: "Ūnam minimamque relinque mihi! Ex multīs minimam poscō, et ūnam!" Dumque rogat, ultima quoque interficitur.

mittere = iacere

tegere tēxisse tēctum = operīre

Sēdit tunc Niobē inter fīliōs fīliāsque mortuās, ipsa etiam ferē mortua: nūlla membra movēbat: immōtīs oculīs ante sē spectābat; ipse sanguis in vēnīs cōnstitit; nec caput iam flectēbātur, nec bracchia tollēbantur: etiam viscera saxum erant facta. Flante validissimō ventō in altum montem est vecta; ibi etiam nunc saxum, in quod mutāta est, lacrimāre nōn dēsinit.

ferē = paene
im-mōtus -a -um = quī nōn movētur
flectere: movēre



Polyphemus in celso saxo tibiis infelicem amorem suum canit; Galatea vero ab Acide pastore amatur

AD CAPITVLVM XXX

1. Polyphēmus et Galatēa

Polyphēmus fuit Cyclōps quī ōlim in īnsulā Siciliā habitābat ibique vītā rūsticā fruēbātur (Cyclōps est mōnstrum homine altius atque fortius, quod vērō ūnum oculum in mediā fronte habet). Ibi Galatēa, nymphārum omnium pulcherrima, quae ūnā cum sorōribus Siciliae undās incolēbat, ab Acide pāstōre amābātur.

Quōdam diē Polyphēmus prīmum illam vīdit, quae, ut pulchrōs flōrēs carperet, campum petēbat, ubi Cyclōpis ovēs pāscēbantur et herbā fruēbantur: tum statim Polyphēmus quid esset amor sēnsit. Cēterārum igitur rērum oblītus, ita omnia, praeter Galatēam, neglegēbat, ut pecora saepe domum nūllō dūcente reverterentur.

Ut vērō amōris dolōrem, quō animus eius afficiēbātur, levāret, nōnnumquam in celsum saxum ascendēbat, unde, mare prōspiciēns, tibiīs ūsus hōc modō canēbat: "Ō fōrmōsa Galatēa, cāseō candidior, agnō suāvior, ūvā mātūrā dulcior, cūr mē amantem contemnis, sī dīligenter tē cūrō? Propter amōrem, quem in animō sentiō, iam multī diēs sunt, cum cibum nōn sūmpsī; at equidem cibō et aquā carēre, famem et sitim perferre facilius possum quam paulisper sine tē vīvere. Parce mihi, ō pulcherrima Nymphārum! Patienter enim cotīdiē exspectō dum tē tandem in campīs ambulantem aspicere liceat; dubitō tamen num tibi appropinquāre possim: nam semper fugis, cum prīmum mē cernis aut inter nōs aspicimus: neque equidem aequō animō hoc ferre possum. At ego sciō quā dē causā mē fugiās: tibi neque capillī neque barba mea placent,


Polyphēmus -ī *m*
Galatēa -ae *f*


Cyclops -clopis *m*

nymphae -ārum *f pl*: deae minōrēs silvārum et flūminum
Acis -idis (*acc Gr* Acin) *m*

sentīre sēnsisse

levāre = minuere, leviōrem facere


cāseus -ī *m*
suāvis -e = quī dēlectat
con-temnere = parvī aestimāre


dum + *coni* = ūsque ad tempus quō


barba -ae *f*

frōns frondis *f* = folia arborum



antrum -ī *n*



capra -ae *f*

similis -e (+ *dat*) = quī īdem esse vidētur

placēre -uisse

per-cutere -cussisse -cussum
tremere tremuisse

prō-icere -iēcisse -iectum
iacēre -cuisse

ef-fundere < ex-fundere


etsī capillī et barba virum decent: num tū pulchram sine frondibus arborem, pulchram sine pennīs avem, pulchram sine lānā ovem umquam vīdistī? Neque tam foedus sum: nūper mē in aquā vīdī, et mihi vultus meus valdē placuit. Praetereā dīves sum et multa possideō. Prō domō antrum aestāte frīgidum, hieme vērō calidum habeō. Veniās igitur ad antrum meum! Sī in illud intrāveris, etiam sī inexspectāta vēneris, semper bene tē recipiam et multōs cibōs appōnam: mihi est enim magna cōpia lactis atque cāseī, quibus aestāte et hieme fruor, nam multae ovēs multaeque caprae in meīs vallibus errant. Sī forte eārum numerum rogāveris, respondēre nōn poterō, nam sōlum pauperēs hominēs pecora numerant. Sunt mihi etiam ūvae aurō similēs, nucēs atque varia genera mālōrum, melle multō dulciōra. Sī tibi haec omnia placuerint et plūra volueris, omnia quae mihi sunt habēbis. Tantum liceat tēcum versārī! Nōn ante requiēscam quam mea uxor fueris, Galatēa." Hīs verbīs Galatēae persuādēre cōnābātur nē sē timēret.

Quōdam vērō diē per silvās et vallēs errābat, cum forte Galatēam et Acin simul ambulantēs vīdit. Māximā vōce clāmāvit Cyclōps: clāmōre percussī montēs tremuērunt; Galatēa perterrita sē in maris aquās mersit; Acis vērō, miserē fugere cōnātus, "Ōrō tē" clāmāvit, "Galatēa, ut auxilium mihi ferās!"; at Polyphēmus, pāstōrī illī invidēns et īrātus (ut Cyclōpem decēbat!), ē monte magnum saxum sūmpsit quod in eum prōiēcit; Acis, saxō percussus, humī iacuit: ē saxō vērō, quō eius corpus operiēbātur, ruber cruor effundēbātur. At Nymphae precibus factum est ut cruor flūminis colōrem sūmeret: aqua prō cruōre fluere coepit, et Acis ipse in flūmen versus est.

Glaucus - ī *m*

Anthēdōn -ōnis *f*

rēte -is *n*



2. Glaucus

Piscātor quīdam, nōmine Glaucus, ōlim Anthēdōnem, īnsulam Graecam, incolēbat. Quōdam diē, postquam multōs piscēs rētī cēperat, ē marī reversus, ita neglegenter prope ōram maritimam ambulābat, ut per ignōta loca errāret, ubi neque ūllae ovēs umquam herbam ēderant neque ūlla apis

mel ē flōribus fēcerat neque agricolae, falce ūsī, frūmentum messuerant.

metere messuisse

Cōnsistēns dēmum in herbā cōnsēdit ut rēte piscibus complētum siccāret atque piscēs captōs numerāret. “Cum ad oppidum reversus erō” sēcum ipse laetus āiēbat, “hōs piscēs vēndam et magnam pecūniam ex iīs faciam.” Dīligenter igitur cūrābat ut piscēs ex rētī extractī in terrā pōnerentur.

com-plēre -ēvisse -ētum
siccāre = siccum facere
ex-trahere

At cum prīmum piscēs herbam tetigērunt, aliquid inexspectātum factum est: piscēs enim, quōs iam prīdem mortuōs esse oportuit, ut paulō ante in marī, sīc tunc in terrā movērī coepērunt; dein, piscātōre spectante, tōtus piscium grex, postquam ad vītam rediit, in maris undās celeriter fūgit.

tangere tetigisse
oportēre -uisse
unda -ae *f* = parvus flūctus

Diū mīrātus, Glaucus reī causam quaesīvit. Tandem haec sibi dīxit: “Utrum deus an herba hoc fēcit? Quid in hāc herbā inest? Sī ego eam sūmpserō atque gustāverō, quid mihi, quid corporī meō fīet? Hanc capiāmus atque captam gustēmus.”

Haec locūtus ē terrā herbam manū carpsit atque dentibus momordit. Sed cum prīmum herbam gustāvit, cor in pectore palpitāre sēnsit; animus eius alterīus nātūrae amōre rapiēbātur.

carpere -psisse
sentīre sēnsisse

Glaucō tunc subitō nōn iam vallēs et montēs placuērunt, sed per undās et mare iter facere ibique vītam agere iūcundum vīsum est. Remanēre igitur nōn potuit; suae nātūrae oblītus terram valēre iussit: “Valē, terra!” dīxit, et sine morā corpus in maris undās mersit.

placēre -uisse

In marī ā cēterīs deīs receptus est, quī statim Ōceanum et Tethyn rogāvērunt ut auferrent Glaucō omnia mortālia eumque deum immortālem facerent. Ōceanus igitur et Tethys eum aquā tōtīus maris omniumque flūminum lāvērunt, ut animum pūrum facerent corpusque mūtārent. Tunc eius animus nihil iam sēnsit, neque quidquam posteā meminisse potuit.

re-cipere -cēpisse -ceptum
Ōceanus -ī *m* = deus ōceanī
Tethys -yos, *acc Gr* -yn = dea maris, uxor Ōceanī | au-ferre (+ *dat*) < ab-
omnia mortālia: omnēs rēs mortālēs
lavāre lāvisse
meminisse ↔ oblīvīscī

Postquam vērō ad sē rediit, alium sē vīdit corpore tōtō: tum enim animadvertit viridem sē gerere barbam, viridem et longum habēre capillum, magnōsque sibi esse umerōs et caerulea bracchia; praetereā crūra in piscis caudam erant mūtāta. Nam inter cēterōs maris deōs, deus ipse factus erat.

animadvertere -vertisse
viridis -e = herbae colōre
barba -ae *f* (*v. pāg.* 53)
caeruleus -a -um = mare/caelī serēnī colōre



Navis qua Ceyx vehitur, toto mari tempestate turbato, huc illuc iactatur

3. Ceyx et Alcyone

Cēyx -ycis *m*
Alcyonē -ēs *f*

Fuērunt ōlim duo coniugēs: virō Cēyx, uxōrī vērō Alcyonē nōmen fuit. Nēmō iīs laetior erat in tōtā Graeciā, nam alter alterum valdē amābat.

Quōdam diē Cēyx templum Apollinis Delphīs situm vīsere cōnstituit, ut deum cōnsuleret. Alcyonē autem, cum prīmum hoc nōvit, acerbō dolōre affecta, lacrimās per genās effūdit tōtōque vultū palluit et, postquam ter frūstrā prae trīstitiā cōnāta est loquī, tum dēmum "Heu, mē miseram!" inquit, "Nōn iam mē amās, ō Cēyx? Num ita molesta sum tibi, ut abīre mālīs quam mēcum manēre? Praettereā multa genera perīculōrum nāvigantibus impendent: sī nāvis saxīs occurrerit, frangētur; sī vorāginī, mergētur; sī tempestās orta erit, magnī flūctūs nāvem aquā implēbunt... Nūllum mare tūtum est ā perīculīs! Neque requiēscere poterō, antequam in patriam salvus reversus eris. Sinās mē tēcum īre! Sī necesse fuerit morī, simul moriāmur!"

Apollō -inis *m* = deus lūcis et artis canendī
cōnsulere (aliquem) = cōnsilium poscere (ab aliquō)
acerbus -a -um = molestus, dūrus
ef-fundere < ex-fundere
pallēre -uisse


Cēyx autem nec uxōrem sēcum īre sīvit nec eius verbīs ā nāvigandō dēterritus est, sed iussit eam bonō animō esse et patienter exspectāre, dum ipse aberat. Etiam prōmīsit sē brevī ex itinere reversūrum esse.

sinere sīvisse

Cum igitur in portū gubernātōrem, quī nāvī praeerat, 'nāvem profectūram' nūntiantem audīret, tum dēmum uxōrem valēre iussit et, ōsculō datō, nāvem parātam cōnscendit.

Coniūnx vērō, gubernātōre imperante ut nāvis rēmīs agerētur, prōtinus perturbāta ad terram cecidit et lacrimāvit. Iam singulī nautae singulōs rēmōs sūrsum deōrsum movēbant et nāvis ē portū proficīscēbātur. Alcyonē tamen nōn surrēxit, sed oculīs ūmentibus marītum quaerēbat, quī in celsā puppī stāns manum agitābat. Deinde nāvis longius ā terrā recessit et coniugēs nōn iam inter sē aspicere poterant; Alcyonē vērō, in lītore manēns, prīmum nāvem, tum mālum, dēnique vēla spectāvit. Postrēmō, ubi nē vēla quidem vīdit, maesta domum rediit et lectō incubuit, neque vērō quiēscere potuit: nam ipse lectus vacuus marītum abesse monēbat: Alcyonē misera iterum iterumque super lectum sē convertēbat, neque tamen ūllō modō dormīre poterat.

ūmēns -entis *adi* = ūmidus
agitāre = celeriter hūc illūc movēre


mālus -ī *m*

in-cumbere -cubuisse (+ *dat*) = cubantem se pōnere

Interim, cum nautae ventō secundō ūterentur, gubernātor omnia vēla ventīs darī iussit. Tum, cum omnēs gaudērent quod marī tranquillō fruēbantur, ventus inexspectātus flāre coepit brevīque caelum nūbibus ātrīs opertum est. Continuō flūctūs auctī sunt et, ūnā cum tonitrū et fulguribus, magna tempestās orta est. Itaque gubernātor clāmāns vēla contrahī iussit, sed ob strepitum nautae audīre nōn poterant. Dum aliī aliō currunt, omnēs dubitābant utrum ē tempestāte servārī possent an dē salūte dēspērāre dēbērent. Flūctūs tam altī surgēbant ut ātrās nūbēs tangere vidērentur. Tōtō marī tempestāte turbātō, nāvis hūc illūc iactābātur et flūctibus operiēbātur. Repente aquārum impetū nāvis est frācta et omnēs, quī eā vehēbantur, in aquam cecidērunt. Aliī ligna frācta tenēbant, aliī bracchia agitābant. Cēyx autem dē suā Alcyonē cōgitāns: "Valē, Alcyonē! Valē!" trīstī vōce clāmābat. Postrēmō altissimō flūctū mersus est nec iam sūrsum ex īmō marī ēmersit.

Cum haec ex caelō spectāret, Iūnō, deōrum rēgīna, Īridem, suam nūntiam variīs colōribus exōrnātam, vocāvit et eī imperāvit ut somnium ad Alcyonem mitteret, quō coniugis mors nūntiārētur. Īris igitur, vēlōcissima ad Somnī spēluncam volāvit (Somnus enim est deus cui somnia oboediunt). Ibi cālīgō nebulīs miscētur, nec ūllus sonus silentia rumpit: omnia, mūta, quiēscunt. Postquam verba Iūnōnis nūntiāvit, Īris prōtinus abiit, nam diūtius vapōrēs, quibus tōta spēlunca complēbātur, perferre nōn potuit. Itaque Somnus ūnum ex mīlle somniīs ēlēgit, quod ad Alcyonem mīsit.


spēlunca

Somnium igitur, fōrmā Cēycis indūtum, Alcyonēs cubiculum intrāns super eius lectum stetit et "Ō, miserrima coniūnx!" inquit, "Cēyx sum, quem vīvum valdē amābās neque vīvum iterum vidēbis. Numquam domum revertar, ut ipsa timēbās, nam nāvis saevissimā tempestāte frācta in īmō marī iacet. Valē, ō dīlectissima coniūnx!"

Cum prīmum Alcyonē hoc audīvit, cor in īmō pectore contrahī sēnsit et statim ē somnō excitāta est. Deinde ē lectō sur-

operīre -uisse -rtum

augēre -xisse -ctum

aliō *adv* = in/ad alium locum | aliī aliō (: aliquī ad aliquem locum), *aliī aliō* currunt

ē-mergere -mersisse = exīre (ex aquā)


Īris -idis *f*

nūntius *m*, nūntia -ae *f*
ex-ōrnāre = ōrnāre
somnium -ī *n* = quod in somnō vidētur

spēlunca -ae *f*

cālīgō -inis *f* = obscūra nūbēs
nebula -ae *f* = nūbēs quae terram operit
ibi cālīgō nebulīs miscētur = ibi obscūrissimae sunt nebulae | silentia   silentium

diū, *comp* diūtius
vapor -ōris *m*: ex aquā nimis calidā oritur vapor





Somnium, forma Ceycis indutum, Alcyones cubiculum intrat

plangere = maerēns et lacrimāns pectus pulsāre (anche: trīstiae causā pectus pulsāre)
prō-icere -iēcisse -iectum
ambō -ae -ō = duo simul (et ūnus et alter), uterque
in-cubāre (+ *dat*) = cubāre super

rēxit et ad lītus iit, ubi lacrimās effundēns clāmāvit: "Ō Cēyx! Cūr tēcum mē nōn tulistī? Cum tē caream, nunc vītam parvī exīstimō!" Dum alia trīstissima verba dīcit et plangit, undās aliquid apportāre vīdit. Tum marī appropinquāvit et (ō, miseram!) corpus Cēycis invēnit. "Sīc in patriam reverteris, amātissime vir!" clāmāvit et sē in mare prōiēcit. Tantus erat Alcyonēs ergā marītum amor, ut dī immortālēs ambōs coniugēs in avēs mūtārent, quae hieme septem diēs, quibus ventus in marī cessat, etiam nunc nīdīs incubāre solent.


Horātius -ī *m*
cocles -itis = alterō oculō carēns

4. Horātius Cocles

pūblicus -a -um < populus
rēs pūblica = rēs omnium cīvium
rēgnum -ī *n* = rēgis imperium
Tarquinius -ī *m*
Tūscus -a -um < Tūscia; Tūscī -ōrum *m* = quī in *Tūsciā* habitant
superbus -a -um = quī aliōs nūllīus pretiī esse putat
crīmen -inis *n* = id quod accūsātur
ex-pellere -pulisse -pulsum = ex aliquō locō pellere

Rōma nōn fuit semper magnum imperium neque tot prōvinciās habuit. Antequam prīncipēs imperium tenērent, Rōma lībera rēs pūblica fuit et antequam rēs publica esset, rēgnum fuit, cui septem rēgēs praefuērunt. Ultimus autem rēx, nōmine Tarquinius, quī nōn Rōmānus sed Tūscus erat, glōriōsus, sevērissimus et tam nēquam fuit ut 'Superbus' appellārētur. Rōmānī tamen hunc tyrannum diū perferre nōn potuērunt; itaque Tarquinius, multōrum crīminum accūsātus, ex urbe expulsus est.

Tūscia -ae *f*



Porsenna -ae *m*
adversus = contrā

In Tūsciam autem reversus Porsennae, Tūscōrum rēgī et amīcō suō, suāsit ut bellum adversus Rōmānōs parāret; quī, verbīs audītīs fronteque contractā, ita respondit: "Equidem exercitum revertī nōn ante iubēbō quam Rōmam expugnāverō!"

Mīlitēs igitur Tūscī per agrōs Rōmānōs ā Porsennā dūcēbantur. Singulī peditēs gladium, scūtum et pilum acūtum fe-

rēbant, et sīc armātī fortiter oppida oppugnābant. Rōmānī autem, inexspectātō bellō perterritī, ex agrīs in Urbem fugiēbant ut vītam servārent. Postquam bellum in Urbem nūntiātum est, Rōmānī exercitum parāvērunt ut Urbs, quae mūrīs et flūmine iam satis dēfēnsa eīs vidēbātur, etiam armīs dēfenderētur; via tamen hostibus patēbat, nam pōns super flūmen positus erat, per quem facile Rōmam intrāre poterant.

Urbem: Rōmam
dēfendere -fendisse -fēnsum
pōns -ontis *m*



Brevī hostēs urbī appropinquāvērunt; mīlitēs vērō Rōmānī ad flūmen accurrērunt ut eōs in fugam verterent. Magna autem hostium cōpia erat: singulī Rōmānī contrā bīnōs aut ternōs hostēs pugnāre dēbēbant. Itaque numerō hostium dēterritī in Urbem recēdēbant. Ūnus tamen ex omnibus mīlitibus nōn fūgit, sed manēns magnā vōce clāmābat: "Quō ītis, Rōmānī? Ex animīs vestrīs timōrem expellātis! Cum hostis pontem trānsierit, nōn extrā Urbem, sed in Urbis viīs cīvēs nostrōs dēfendere oportēbit. Nisi pontem dēstrūxerimus, domūs et templa tūta nōn erunt. Impetum hostium diūtius sustineāmus! Equidem nōn ante recēdām quam pōns lāpsus erit." Hic fortissimus mīles Horātius appellābatur, cognōmen vērō eius 'Cocles' erat, nam alterō oculō carēbat. Cum ille in mediō ponte sōlus clāmāret et gladium valdē quateret, hostēs stupuērunt et repente pugnāre dēsiērunt. Mīlitem tam audācem mīrābantur et paulum metuēbant: ita ferōx et fortis Horātius Cocles eīs vidēbātur. Deinde duo aliī ex Rōmānīs, quōs fugae pudēbat, accessērunt ut ūnā cum Horātiō pugnārent. Tum dēmum hostēs in eōs prīmum impetum fēcērunt, sed singulī Rōmānī multōs Tūscōs interficere potuērunt. Hostēs, cum sē ā tribus Rōmānīs priōre impetū superārī vidērent, sagittās prōtulērunt quās arcubus in Rōmānōs iēcērunt.

dēstruere -ūxisse -ūctum ↔ aedificāre
diū, *comp* diūtius
stupēre -uisse
superāre = vincere
arcus, *dat/abl* arcubus

Tunc Horātius cēterōs recēdere iussit et clāmāns imperāvit ut pōns ignī darētur; dein "Pater Tiberis" inquit, "in tuās undās recipe mē salvum." Cum prīmum hoc dīxit, in flūmen prōtinus dēsiluit, dum multa tēla ab hostibus iacta ex altō cadunt. Sīc ūnus vir fortiter Rōmam dēfendit, quī semper ā Rōmānīs propter magnam virtūtem memorābitur .

unda -ae *f* = parvus flūctus
tēlum -ī = pīlum vel sagitta
virtūs -ūtis *f* = animus fortis



Iuppiter, forma aquilae indutus, Ganymedem in Olympum vehit

5. Ganymēdēs

Ganymēdēs -is *m*

Fuit ōlim in urbe Trōiā puer pulcherrimus, nōmine Ganymēdēs, nōbilissimīs parentibus nātus, quī tamen pāstoris opus facere solēbat. Cotīdiē igitur sub urbe in campīs et in silvīs, quamquam fīlius Trōiānōrum rēgis erat, cum ovibus errābat. Ovēs eius nihil ēdēbant, praeter optimum pābulum, quod in monte Īdā inveniēbātur. Itaque Ganymēdēs, māne ex urbe ēgressus, loca, in quibus ovēs herbā pāscēbantur, celeriter petēbat.

ē nōbilissimīs parentibus

sub urbe: apud urbem

Trōiānī -ōrum *m pl* = quī in urbe Trōiā habitant

Īda -ae *f* = mōns apud Trōiam

In altō monte, cum gregem cūstōdīret, ut inter pāstōrēs fierī solet, pulchra carmina, etsī rūstica, tibiīs canere incipiēbat. Tam pulchrē canēbat Ganymēdēs ut pecus paene magis carminibus quam cibō dēlectārētur: ovēs enim, pābulum oblītae, ad eum accēdēbant, ut eum canentem audīrent.

Quōdam diē, eum in umbrā cuiusdam arboris sedentem atque tibiīs canentem cōnspexit Iuppiter, deōrum pater, quī, eius amōre statim captus, sine morā adulēscentulum in Olympum arcessere voluit ut apud sē cēterōsque deōs habitāret. Itaque, fōrmā aquilae indūtus, dē summō Olympō dēscendit et trāns montēs et vallēs, flūmina mariaque, ventō celerius advolāvit. Pulchrum erat aquilam illam ālās sūrsum deorsum moventem et ab īnfimō in summum āera ascendentem intuērī.

adulēscentulus -ī *m* = adulēscēns (nōndum XX annōrum) | Olympus -ī *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant

ad-volāre

āēr, *acc* āera

Cum prīmum ad Asiam pervēnit, in magnum orbem circum Īdam, Ganymēdem quaerēns, volāvit. Quem, cum prīmum vīdit, hīs verbīs salvēre iussit: "Salvē" inquit, "pulcherrime puer. Ego sum Iuppiter, quī tē ōrātum veniō ut, relictīs mortālium rēbus, ad deōrum immortālium domōs mēcum ascendās, ubi beātā vītā fruēris mihique vīnum in pōcula fundēs. Gaudēbō, sī mēcum venīre volueris." Cui Ganymēdēs "Eāmus," respondit, "sī hoc tibi, summe Iuppiter, placet. Equidem id, quod mihi suādēs, magnum bonum esse cēnseō. Gaudēbō ego quoque et iūcundam vītam agam inter deōs, sī tēcum vēnerō."

relinquere -līquisse -lictum

mortālēs -ium *m pl* = hominēs

vītam agere = vīvere

Cum prīmum hoc audīvit, Iuppiter "Ergo," inquit, "quoniam tam cupidus es mēcum veniendī, Olympum petāmus: tē statim illūc veham." et puerum apprehēnsum portāvit, cavēns tamen nē candidīs Ganymēdis membrīs unguibus nocē-



apprehendere -prehendisse -prehēnsum

unguis -is *m*

ab-esse a-fuisse (< ab-fuisse)
ab īmīs *locīs* ad summa *loca*

ret; neque diū, quamquam iter satis longum erat, Iuppiter domō āfuit, sed celerrimē, ut Trōiam pervēnerat, ita inde, ab īmīs ad summa ascendēns, rūrsus ēvolāvit, domumque rēctā viā iterum petīvit.

Ganymēdēs autem, dum in āere vehitur, novā volandī potestāte dēlectātus et cōnspectūs pulchritūdinem mīrātus, studiōsus omnia aspiciendī, Iovem rogāvit ut altius in caelum sē levāret. Tunc deōrum pater, quī adulēscentulō pārēre volēbat, in summum caelum ascendit, unde Ganymēdēs dēspiciēns magnās Asiae, Eurōpae atque Āfricae partēs cernere potuit; quibus vīsīs māximē gaudēbat.

Cum dēmum Iuppiter domum cum puerō reversus est, eī ministrī opus dedit, ut semper in triclīniō, inter deōrum convīvia, vīnum aquae mixtum sibi hospitibusque suīs in pōcula funderet.

AD CAPITVLVM XXXI

1. Deucaliōn et Pyrrha

Deucaliōn -ōnis *m*
Pyrrha -ae *f*

Antīquissimīs temporibus hominēs tam scelestī factī erant, ut, īnfīdī et falsī, omnis generis iniūriās facerent, neque quidquam magis optārent quam aurum et dīvitiās, quārum cupidissimī esse vidēbantur. Cum sibi deōs verendōs esse negārent eōsque contemnerent, manūs nōn abstinēbant ab aurō quod in templīs servābātur, et tam nēquam atque iniūstī erant ut aliī crūdēlissimī ergā līberōs essent, aliī patrēs suōs ipsī necārent; nam neque patrēs amābant līberōs, neque līberī patrēs: aliī aliōs ōderant. Neque eōs scelerum pudēbat suōrum.


con-temnere = parvī aestimāre

Cum prīmum vērō Iuppiter per Mercurium, deōrum nūntium, tālia scelera cognōvit, tantās hominum iniūriās sevērissimē pūniendās esse putāvit. Tōtum igitur hūmānum genus flūctibus perdere statuit. "Perdendum est" inquit, "mortāle genus! Pereant hominēs, cum tam scelestī sint! Pūniantur quam celerrimē omnēs!"

genus mortāle = genus hominum (: hominēs)

Mercurius vērō, quī duōs hominēs probōs et iūstōs esse nōverat, Iovī suāsit ut clēmēns esset iīsque parceret. Iuppiter igitur postquam Deucaliōnem eiusque uxōrem, Pyrrham nōmine, quōs Mercurius praeter cēterōs servandōs esse cēnsēbat, in rate quādam posuit, ventōs omnēs līberāvit, nūbibusque ātrīs tōtum caelum operuit; deinde ingentēs imbrēs dē caelō mīsit, et aquās tōtīus orbis ita auxit, ut omnēs terrae mergerentur: omnia mare erant, et lītora quoque marī dēerant. Etiam flūmina per apertōs campōs celerrimē fluentia sēcum arborēs et pecora et hominēs ipsāsque vīllās rapiēbant et abdūcēbant.

ratis ratis *f*



operīre -uisse -rtum
augēre -xisse -ctum



Deucalion et Pyrrha, capitibus opertis, lapides post se iaciunt, ex quibus viri et feminae nascuntur

Fluctūs operiēbant omnia; ipsa tēcta altissimārum domuum et summae montium partēs sub aquīs latēbant: ubi modo ovēs herbam carpēbant, ibi nunc piscēs natabant.

domus, *gen pl* domuum

Cum vērō omnēs cēterī altissimīs in flūctibus perīrent, ūnus Deucaliōn, quī multīs cum lacrimīs hominēs undīs mersōs perīre vidēbat neque eōs ūllō modo iuvāre poterat, rate vectus cum uxōre suā servātus est.

Post multōs vērō diēs, postquam iam omnēs mortuī erant et Iuppiter suam īram dēposuerat, Deucaliōn et Pyrrha, aquīs recēdentibus, ad summum montem Parnāssum pervēnērunt, quī mōns altissimus est. Coniugēs igitur, quī sōlī ex tot mīlibus hominum superfuerant, ē rate in terram dēscendērunt. At cum Deucaliōn tōtum orbem vidēret animālibus vacuum et terrās hominibus omnibus carēre, inter lacrimās sīc ad uxōrem locūtus est: "Ō soror, ō coniūnx: nōs duo tantum superfuimus; cēterī omnēs flūctibus mersī sunt. Nunc genus mortale in nōbīs duōbus sōlīs restat. Sīc voluit Iuppiter."

īra -ae *f* = animus īrātus
dē-pōnere
Parnāssus -ī *m*: mōns Graeciae
superesse = reliquus esse
re-stāre = reliquus esse

Uterque flēbat et auxilium ā deīs poscēbat. Ad Themidis templum igitur, quod in monte situm erat, iērunt; quō cum prīmum pervēnērunt, humī prōcumbentēs, ita precātī sunt: "Ōrāmus tē, ō Themi, ut nostrīs precibus moveāris: auxilium nōbīs ferās et dīcās quōmodo iterum terrās hominibus implēre possīmus et efficere ut genus mortāle rūrsus nāscātur."


Themis -idis *f*: dea quae quidquid iustum est statuit et cūstōdit
prō-cumbere ↔ recumbere

Dea, hīs precibus mōta, ita respondit: "Discēdite ā templō; vestibus capita vestra operīte et cingula solvite: deinde post terga iacite ossa magnae mātris!" At Pyrrha id, quod dea imperābat, facere nōlēbat: "Ignōsce mihi, deārum optima: ego tamen dubitō num id facere audeam, quod iubēs; nōlō enim, iactātis ossibus, mātrem mortuam iniūriā afficere!"

cingulum -ī *n* (*v. pāg.* 41)

Quoniam vērō ex interiōre templī parte eadem verba iterum iterumque repetēbantur, Deucaliōn uxōrī suāsit ut deae sibique ipsī cōnfīderet: "Nōlī timēre" inquit, "amātissima coniūnx: cōnfīdendum ā nōbīs est deae verbīs; neque enim umquam dea suādēbit ut scelera faciāmus. Magna māter terra est; et arbitror lapidēs in corpore terrae 'ossa' ā deā nōminārī: lapidēs igitur iubet nōs post terga nostra iacere! Id faciendum est nōbīs! Faciāmus, quod dea imperat!"


interior -ius *comp* < intrā
cōnfīdendum ā nōbīs est = nōs cōnfīdere oportet
lapis -idis *m*



Discēdunt; capita vestibus operiunt, cingula tunicārum solvunt et post sē lapidēs iaciunt. Lapidēs (mīrābile dictū!) ut cēra molliuntur; postquam vērō mollēs fiunt, fōrmam accipere incipiunt. Pars, quae in illīs ūmida fuit, in corporum membra est conversa; quod dūrum erat in ossa mūtātum est; quae lapidum vēnae fuērunt, suum nomen retinuērunt, et corporum vēnae factae sunt. Brevī deōrum potestāte factum est ut lapidēs, quōs Deucaliōn iēcerat, virōrum faciem sūmerent; ex iīs vērō, quī ā Pyrrha iaciēbantur, fēminae nāscerentur.

convertere -tisse -sum = mutare

re-tinēre -tinuisse -tentum



2. Promētheus

Promētheus -ī *m*

Titānus -ī *m* Titānī -ōrum *m pl* = deī antīquissimī, fīliī Caelī et Terrae | Īapetus -ī *m*

Clymenē -ēs *f*

Promētheus fuit fīlius Titānī, nōmine Īapetī, et Nymphae, quae Clymenē appellābātur.

Postquam deī omnia cētera animālia in mundō posuerant et etiam hominēs ex terrā ūmidā et mollī ignī mixtā confēcerant, Epimētheō, Promētheī frātrī, imperāvērunt ut singulīs animālibus mūnera daret. Epimētheus igitur aliīs celeritātem dedit, quā vēlōcissimē currentēs ā bēstiīs ferīs sē persequentibus fugere possent; aliīs vērō unguēs et dentēs, quibus et impetum in aliās bēstiās facerent et sē ipsa dēfenderent; aliīs dēnique pilōs multōs, quibus totum corpus tegerent et facilius frīgora paterentur.

Epimētheus -ī *m*

celeritās -ātis *f* < celer

unguis -is *f* (*v. pāg.* 63)



tegere = operīre




Cum tamen Epimētheus parum prūdēns esset, omnia mūnera cēterīs animālibus trādidit, hominī vērō nihil relīquit. Quid ergō hominēs facerent? Nūdī, inermēs, miserī in silvīs et in campīs errābant, neque quidquam habēbant quō ā ferīs aut ā tempestātibus sē tuērentur. Aut igitur frīgore moriēbantur, aut ā ferōcibus bēstiīs occīdēbantur.

relinquere -līquisse -lictum

in-ermis -e ↔ armātus

tuērī = tūtum facere, dēfendere

Promētheus vērō, quī hominibus bene volēbat, aliquō beneficiō eōs afficiendōs esse statuit. Cum igitur cōgitāret quōmodo eōs adiuvāre posset, et in summā Olympī montis parte, ubi deī domōs suās habent, ambulāret, subitō currum Sōlis cōnspexit, quem nēmō cūstōdiēbat. Clārissimē lūcēbat flammīs, et igneōs radiōs in omnēs partēs ēmittēbat. Tum Promētheus, postquam cautē circum sē aspexit num quis venīret, curruī appropinquāvit, ut inde ignis scintillam sūmeret, quam



Olympus -ī *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant

igneus -a -um < ignis

radius -ī = lūminis linea (*v. pāg.* 43) | ē-mittere

scintilla -ae *f*

hominibus dōnāret. Dum vērō ad currum accēdit, ferulam in hortō vīdit, quam eō cōnsiliō carpsit, ut in eā ignem latentem ad hominēs portāret.

ferula -ae *f*



quam: ut eam
carpere -psisse

Ex Olympō igitur dēscendit Promētheus ferulam manū gerēns, quā ignis scintilla continēbātur. Postquam in campōs pervēnit, hominēs vīdit hūc et illūc errantēs atque trementēs; quibus arcessītīs: "Nōlīte iam timēre quidquam, hominēs!" inquit, "Mūnus enim in hāc ferulā vōbīs afferō, quō et frīgus et ferās repellere poteritis. Posthāc nihil iam vōbīs timendum erit." Quibus verbīs cōram hominibus dictīs, ex ferulā scintillam extrāxit; quā statim magnum ignem accendit.



Promētheus ignem accendit

arcessere -īvisse -ītum

re-pellere

ex-trahere | accendere -disse -ēnsum
ignem accendere = ignem facere

Prīmum hominēs, rē novā perterritī, fugere volēbant; Promētheus vērō eōs retinuit atque mōnstrāvit quam ūtile illud mūnus eīs esset: "Igne corpora vestra nūda et frīgentia calefacere poteritis; ferōcissimae quoque bēstiae ab igne fugient, neque in vōs impetum facere audēbunt; praetereā igne vōbīs etiam ferrum mollīre et arma cōnficere licēbit. Ignis erit īnstrūmentum omnium artium, quās vōs continuō docēbō!" Hominēs igitur, quī circā Promētheum erant, statim didicērunt quōmodo ignem servārent eōque ad artēs variās ūterentur; deinde, per nūntiōs, etiam aliī ea, quae Promētheus docuerat, cognōvērunt atque ipsī in campīs ignēs accendere coepērunt.

ūtilis -e (< ūtī) = quī prōdest

cale-facere = calidum facere

Iuppiter tamen dē summō Olympō dēspiciēns, postquam illōs ignēs in terrā vīdit, Mercurium, deōrum nūntium, in terrās ubi hominēs vīvēbant mīsit, ut cognōsceret quid fieret: "Mercurī, fīlī mī " inquit, "volā ad ea loca ubi hominēs vīvunt, et vidē quis eōs ignem servāre doceat! Sī enim didicerint etiam quōmodo igne ūtī possint, tam superbī fīent, ut nē deōs quidem vereantur!"

superbus -a -um = quī aliōs parvī aestimat

Sīc dīxerat Iuppiter. Mercurius vērō continuō, sine morā, patris imperiō pāruit: induit calceōs suōs aureōs et ālīs ōrnātōs, quibus ventō celerius volāre potest sīve super mare sīve super terram, et, virgam manū gerēns, ad campōs, in quibus

pārēre -uisse

cingere cīnxisse cīnctum

ignēs ab hominibus accēnsōs vīderat, volandō pervēnit. Cum autem nūbe cīnctus sē occultāret, nēmō eum cernere poterat; ipse vērō, praesēns, omnia vidēbat.

Postquam igitur Promētheum cōnspexit, quī nōn sōlum ignem inter hominēs dīvidēbat, sed etiam eōs artēs variās atque mīrābilēs docēbat, continuō ad Iovem rediit, ut eī quid fieret nūntiāret. Cum cōram eō esset, Promētheum ex Olympō aufūgisse sēcum aliquantum ignis auferentem nūntiāvit.

Iuppiter igitur, postquam haec audīvit: "Ō scelestum Promētheum!" clāmāvit, "Atque ego illī praeter cēterōs fīdēbam! Posthāc nec Titānīs nec hominī ūllī cōnfīdam: neque enim fidē meā dignī sunt: īnfīdī et nēquam sunt omnēs! Profectō Promētheum omnibus modīs cruciābō, cum prīmum eum cēperō! In montis saxō fīgētur! Tibi magnum praemium dabō, mī Mercurī, sī eum hūc retrāxeris; in eum vērō sevērissimam poenam statuam!"

Frūstrā Minerva, artium dea, cum Promētheum valdē dīligeret, Iovī, quem clāmantem audīverat, suādēre cōnāta est, ut clēmēns esset: Iuppiter autem exclāmāvit: "Quam facile, Minerva, nēquissimō illī Titānī fīliō ignōscis! Ego vērō gravissimō suppliciō eum afficiendum esse cēnseō, ut omnēs cēterī quī in terrīs et in Olympō vīvunt dēterreantur nē tālia turpissima scelera posthāc faciant! Profectō Promētheus pūniendus est! Veniat hūc Vulcānus! Arcessite eum!" Vulcānus, deōrum faber, cum Iovem īrātum et tālī modō clāmantem audīret, statim accurrit.

accurrere -currisse

Mercurius intereā celerrimē ad terrās volāvit ut Promētheum fallācibus verbīs ac prōmissīs in Olympum retraheret. Postquam vērō cōram deīs fuit, Iuppiter hanc sevērissimam gravissimamque poenam in eum statuit: ut in monte Caucasō catēnā ferreā vincīrētur; praettereā ut aquila cotīdiē eius iecur interdiū vorāret, quod nocte iterum nāscerētur, nē supplicium umquam fīnem habēret.

Caucasus -ī *m* = mōns Asiae

inter-diū ↔ nocte

Herculēs -is *m* = Iovis fīlius fortissimus (*v. pāg.* 14)

trāns-īre

Post multa mīlia annōrum tamen, cum Herculēs per eās regiōnēs errandō trānsīret, sagittā ex arcū ēmissā, aquilam interfēcit et Promētheum, quī eī beneficium fēcerat, ex tantō suppliciō tandem līberāvit.

3. Dē Centauromachia

Centauromachia -ae *f* = pugna cum *Centaurīs*

Centaurus -ī *m*



Centaurī mīra mōnstra fuērunt, quibus vultūs, pectora et bracchia hominum erant, cētera vērō corporis membra equīna; nātūram vērō ferōcem et saevam habēbant.

equīnus -a -um < equus

Ōlim Pīrithous, Lapithārum rēx, cum Hippodamēn, fōrmōsissimam virginem, uxōrem dūcere vellet, ideō convīvium parāverat, ad quod etiam ferōs Centaurōs ūnā cum cēterīs per nūntiōs vocāvit. Servī domum tōtam multīs pulchrīsque flōribus exōrnāverant, vestibus pretiōsīs omnēs lectōs strāverant, in mēnsās vāsa argentea, in quibus cibōs optimōs appōnēbant, et pōcula aurea, in quae fundēbant dulcissimum vīnum, imposuerant. Tībīcinēs et fidicinēs tam iūcunda carmina canēbant, ut omnēs hospitēs valdē dēlectārentur. "Sānē laudandī sunt" dīcēbant inter sē, "et servī, quī tam bene omnia ad convīvium parāvērunt, et hī fidicinēs tībīcinēsque, quī tam pulchrē canunt, ut valdē animōs nostrōs dēlectent. Sed ubi est uxor Pīrithoī?"

Pīrithous -ī *m* | Lapithae -ārum *m pl*

Hippodamē -ēs (*acc* -ēn) *f Gr*

uxōrem dūcere = uxōrem suam facere

velle, *coni imperf.*

vellem	vellēmus
vellēs	vellētis
vellet	vellent

vestibus lectōs sternere = vestēs super lectōs sternere

Cum haec dīcerent, Hippodamē, pulcherrima virgō, ūnā cum aliīs fēminīs et mātrōnīs triclīnium intrāvit. Omnēs Pīrithoum 'fēlīcem' illā coniuge dīcēbant. Pīrithous vērō: "Cibōs et vīnum, amīcī" ait, "sine morā ā ministrīs postulāte: iī enim dabunt vōbīs quidquid optāveritis! Gaudeāmus, nēque quisquam maereat! Quisquis dē hōc laetō convīviō gaudet, pōculum tollat et bibat mēcum! Nunc bibendum et gaudendum est!"

Diū igitur omnēs laetī ab ōvō ūsque ad māla fābulābantur optimōs cibōs gustantēs et vīnum, quod ministrī in pōcula fundēbant, magnō cum gaudiō pōtantēs.

At subitō Centaurī, quī plūrima merī pōcula funditus exhauserant, multō vīnō ēbriī, mēnsās humī prōiēcērunt et tōtum convīvium turbāre coepērunt. Quīdam eōrum, nōmine Eurytus, quī māximē ēbrius erat, Hippodamēn rapuit; aliī rapuērunt quās poterant; puellārum mātrōnārumque clāmōribus tōta domus replēbātur: "Heus, tū, mōnstrum!" clāmābant, "Abstine manūs ā mē!" "Ō virī, auxilium ferte!" Omnēs igi-

Eurytus -ī *m*

re-plēre = complēre

stultitia -ae *f* < stultus

tur virī, cum haec indigna scelera fierī vidērent, statim ē lectīs surrēxērunt. Thēseus, fortissimus iuvenis, ad Eurytus conversus: "Quae stultitia tē," inquit, "sceleste, capit, quī Pīrithoō ita nocēre cōnāris? Tē hōc turpissimum scelus sine poenā facere nōn sinam!"

Thēseō autem loquentī nihil Eurytus respondit, (neque quidquam dīcere poterat, ut verbīs sē dēfenderet!) sed iniūriae iniūriam addidit et saevīs pugnīs eius ōs ac nōbile pectus pulsāvit. Tunc Thēseus "Prōfectō tū," inquit, "quī nōn modo fēminam illam pulcherrimam abdūcere ausus es, sed etiam mē nunc verberās, capite pūniendus es!"

mīsit: iēcit
ef-fundere -fūdisse -fūsum (< ex-)
supīnus -a -um = in tergō iacēns

Haec verba locūtus, signum magnum et grave, quod triclīnium ōrnābat, sustulit et in Centaurī ōs mīsit. Ille, sanguinem cum vīnō mixtum ex ōre effundēns, cecidit supīnus in terram neque iam movērī potuit. Tum aliī Centaurī ferōciter pugnāre coepērunt et "Arma! Arma!" magnīs vōcibus clāmābant.

prius... quam

Cum vērō vīnum animōs valdē excitāret, saeva pugna facta est. Plūrēs ex utrāque parte moriēbantur: nec tamen Lapithae dēterrēbantur nē Centaurōs oppugnārent, sed: "Fortissimus quisque arma sua capiat!" clāmābant; "Centaurī necandī sunt! Pereant Centaurī!" neque prius pugnāre dēsiērunt, quam māximam Centaurōrum partem interfēcērunt, cēterōs vērō aufugere vīdērunt.

Tantalus -ī *m*

4. Tantalus

cōnsilium capere = cōnstituere
inter-dum = nōnnumquam

Tantalus, Iovis fīlius, cum nihil magis optāret quam pōtiōnēs et cibōs, inter deōrum convīvia hospes esse solēbat: ab ōvō ūsque ad māla cum deīs cēnābat, quōs dē variīs rēbus fābulantēs audiēbat; omnēs igitur, cum illī praeter cēterōs fīdere solērent, etsī summīs dē rēbus cōnsilia interdum capiēbant, līberē tamen inter sē, eō praesente, loquēbantur.

At fide Tantalus dignus non erat: nam post convīvia cōram amīcīs omnia super deīs eōrumque cōnsiliīs nārrābat. Hominēs tamen Tantalō nōn crēdēbant: eum enim malum nūntium esse et falsōs rūmōrēs nūntiāre putābant.

Ōlim vērō, inter convīvium, deī per quōsdam nūntiōs cognōvērunt Tantalum omnia cōnsilia, dē quibus immortālēs inter sē loquī audīverat, cōram hominibus dīxisse. Quod cum prīmum deī scīvērunt, scelestum illum capite pūnīre cōnstituērunt. Omnēs igitur simul 'Tantalum interficiendum esse' magnā vōce clāmābant. Iuppiter autem deōs ita clāmantēs interpellāvit et "Nōlīte Tantalum interficiendum esse dīcere!" inquit, "Clēmentēs estōte! Tantalus nōn est necandus." Sed deus quīdam "Nimis clēmēns es: inquit, "quam facile fīliō tuō, etsī scelestō et nēquam, ignōscere solēs!"

immortālēs -ium *m pl* = diī

scīre -īvisse

Tantalus vērō, aliquantum turbātus, ut sē excūsāret, deīs tālia verba dīcēbat "Ignōscite mihi dēbilī: nimium ego vīnī biberam atque ēbrius nūgās dīcere coepī. Neque vērō omnia dīxī, nam mala memoria mihi est." Hīc Cupīdō, deus quī, quamquam iuvenis esse vidētur, senex tamen est, simul atque pōculum suum funditus exhausit, exclāmāvit: "Num ideō tantam iniūriam nōn esse pūniendam cēnsēs? Nōnne mōrēs nostrōs didicistī? Cōnsilia quae hīc audīs tibi aperienda nōn sunt."

aperīre = nōtum facere

Iuppiter tandem, quī māximam inter deōs habēbat potestātem, hanc sententiam dīxit ut poenam iūstam statueret "Vītae tibi parcimus, Tantale, sed posthāc apud nōs tē cēnāre vetāmus."

Cum igitur Tantalus, quī supplicium multō sevērius metuerat, ob perīculum vītātum valdē laetus esset: "Ō dī bonī!" exclāmāvit, "Profectō magnum praemium et magna mūnera prō vestrō beneficiō sunt ā mē vōbīs danda: omnēs ad cēnam magnificam domī, apud mē, invītāminī."

metuere -uisse

ā mē danda sunt = mē dare oportet

invītāre = (hospitem domum suam) vocāre, recipere

Diī, in triclīnium flōribus ōrnātum ingressī et in lectīs vestibus pulcherrimīs strātīs accumbentēs, laetē apud Tantalum cēnābant, quī eīs cibōs optimōs appōnēbat pōtiōnēsque, quae eīs numquam satis esse vidēbantur, in pōcula fundēbat. Cum igitur plūra ēsse optārent, quīdam ex diīs, impatiēns "Age, Tantale" inquit, "aliōs cibōs accipere volumus: iam prīdem eōs appositōs esse oportēbat! Nimis tardus nōbīs vidēris esse."

Pelops -opis *m*

Tantalus vērō, quī cibīs carēbat, fīlium parvum, nōmine Pelopem, quem domī ēdūcāverat, eō cōnsiliō vocāvit ut eum necāret eiusque carnēs coctās deīs in convīviō cubantibus appōneret. Sīc Tantalus, quī etiam cognōscere volēbat utrum diī omnia animadverterent, carnēs miserī fīliī inhūmānē interfectī ē culīnā in triclīnium portāvit.

dē-cipere -cēpisse -ceptum = fallere

Cum autem diī aliōs cibōs tandem apportārī aliāsque pōtiōnēs fundī vidērent "Vīvat Tantalus!" clāmāvērunt, "Gaudeāmus omnēs!" Iam deōs, quōs nēmō fallere potest, scelere occultātō sē dēcēpisse crēdēbat Tantalus, sed cum prīmum illās carnēs in mēnsā appositās diī spectāvērunt, statim supplicium, quod Pelops passus erat, intellēxērunt.

scelus committere = scelus facere

Dea igitur quaedam, "Ō Tantale," inquit, "crūdēlissime pater: fīlium tuum necāvistī!" "Quamobrem" ait Iuppiter, "nōbīs fīliī tuī carnēs appōnere es ausus? Quis umquam tam turpe et inhūmānum scelus fēcit?" Cēterīs deīs sevērissimam poenam invocantibus, "Profectō māximō suppliciō afficiēris;" inquit deōrum pater, "ō Tantale, quod nisi factum erit, etiam hominēs nēquam, tē imitātī, tālia scelera committent; nec enim quidquam, nisi poena sevēra, huius generis hominēs ab iniūriīs et maleficiīs dēterrēre potest."

cruciātus -ūs *m* < cruciāre

Omnēs igitur convīvae ūnō ōre exclāmāvērunt: "Pereat Tantalus, pater crūdēlissimus et iniūstissimus, nē nōmine quidem patris dignus! Iuppiter eum māximīs perdat cruciātibus!" Tantalum igitur ad Īnferōs Iuppiter prōiēcit et in flūmen ūsque ad medium corpus mersit ut supplicium, quod ille prō scelere factō merēbat, sūmeret.

ex-cruciāre = valdē cruciāre

pōmum -ī *n*: *pōma* sunt māla, pira, ūvae, cēt.

Ex eō tempore Tantalus, in Īnferōrum flūmine stāns, fame et sitī, quae nūllum habent fīnem, excruciātur: nam simul atque bibere cōnātur, aqua, quam haurīre vult, recēdit; et cum pōma, quae super caput sunt, sūmere cupit, ventus ea retrahit priusquam capiat. Sīc pater ille scelerātus, dēbilis et invalidus, sine cibō et sine pōtiōne semper manet.

com-pōnere < cum-pōnere

Diī vērō Pelopis membra, ut fuerant, composuērunt, eīque iterum vītam dedērunt.

5. Cadmus

Cadmus -ī *m*

Agēnōr, quī rēx erat in quādam Asiae urbe, postquam Iuppiter eius fīliam rapuit, cōram fīliīs locūtus est, et: "Multī iam diēs sunt" inquit, "cum Eurōpam, sorōrem vestram, nōn vīdī; ā praedōnibus eam raptam esse crēdō!" Rēx vērō, cum nescīret ubi puella esset, atque dē eius vītā valdē timēret, suāsit iuvenibus ut sorōrem quaererent et: "Sī forte" inquit "illōs scelestōs praedōnēs invēneritis, quī cruce aliīsque suppliciīs dignī sunt, nōlīte iīs ignōscere, sed, cum captī erunt, facite ut per nūntiōs rem cognōscam; nam in eōs sevērissimās poenās statuere oportēbit; nisi autem fīliam ad mē redūxeritis, prohibēbō vōs iterum in hanc domum intrāre, immō etiam in ipsam patriam redīre: vōs enim nōmine fīliōrum indignōs esse cēnsēbō."

Agēnōr -oris *m*

Eurōpa -ae *f* = Agēnoris fīlia

sī forte = sī fortasse

Quibus verbīs audītīs, omnēs fīliī (inter quōs erat quīdam nōmine Cadmus) ē patris domō exiērunt et: "Nesciō," inquit quīdam eōrum, "quid faciāmus: nōbīs enim per tōtum mare omnēsque terrās soror quaerenda erit; nec umquam inveniēmus, nisi diū quaesīverimus." Statuērunt igitur ut aliī aliās regiōnēs peterent.

aliī aliās (: quāsdam) regiōnēs, *aliī aliās* peterent

At Cadmus Apollinem deum, quem dignissimum fide esse cēnsēbat, ante omnēs interrogāre voluit. Graeciam igitur petīvit, ubi Apollinis templum situm erat, ut deum rogāret ubi esset soror. Itaque vēnit ad deī templum et: "Estō mihi bonus," inquit, "Apollō; nam cōram tē venīre audeō ut dē meā sorōre interrogem, quam praedōnēs rapuērunt."

Deus autem: "Nōlī crēdere sorōrem ā praedōnibus raptam esse aut iniūriam ūllam patī: illa enim bene sē habet, neque vērō tēcum redīre poterit, quia eam Iuppiter apud sē retinet. Sciō tamen patrem tē prohibuisse domum sine sorōre redīre, neque hinc sine ūllō cōnsiliō tē dīmittere volō. Cum enim pius mihi videāris, tibi bene volō et auxilium feram, ut terram tibi habitandam invenias, quae nova patria tibi erit. Hoc igitur faciās: cum ē templō exieris, vaccam pulchram vidēbis cornibus paene aureīs, quae numquam rūrī labōrāvit; ea in latere plēnam lūnam gerere vidēbitur; tibi suādeō ut eam sequāris: nam ubi cōnstiterit, ibi urbis moenia

tacēre tacuisse

tibi aedificanda erunt." Apollō, haec verba locūtus, tacuit.

Cadmus vērō, quī deō pārēre volēbat, cum prīmum exiit, illam pulchram vaccam cōnspexit, quae aurea cornua gerēbat; itaque, cōnfīdēns Apollinis verbīs, eam, etsī per longum tempus terrāsque multās ambulāvit, ūsque ad locum quendam ignōtum, pulcherrimum tamen, secūtus est. Tum, simul atque eam cōnsistere et in herbā recumbere vīdit, imperāvit cuidam mīlitī (nam, cum esset prīnceps suī populī, sēcum aliquot amīcōs mīlitēsque dūcēbat) ut fontem quaereret et inde aquam afferret.

Cum vērō post longum tempus ille nōndum redīret: "Multae iam sunt hōrae" inquit, "cum mīlitem ad fontem mīsī; Cūr nōndum revertit? Eum iam prīdem hīc adesse oportuit!" Alterum igitur mīlitem arcessīvit eīque imperāvit ut priōrem invenīret. At post complūrēs hōrās nē alter quidem mīles appāruit.

Tertiō vērō mīlite missō nec posteā ūllō in locō vīsō, prīnceps metuere coepit; sed diī, quī tantum bonōs piōsque hominēs amant quantum malōs prāvōsque ōdērunt, auxilium eī ferre voluērunt: Minerva igitur, quae iuvenī prae cēterīs mortālibus bene volēbat, ē summō Olympō dēscendit, et simul atque eī occurrit: "Ō Cadme bone," inquit, "Agenoris fīlī: mīlitēs tuī interfectī sunt ā scelestissimō mōnstrō, quod apud fontem ad quem eōs mīseras vīvit. Tū tamen estō fortis! Nam illud nēquam mōnstrum pūnīre oportet, propter māximam iniūriam, quam tibi tuīsque mīlitibus fēcit. Est enim dracō tam saevus, ut hominēs vīvōs edat nec umquam satis habeat. Tibi ille ferōx dracō capite pūniendus est; cape igitur hastam tuam et cōnfīde mihi, nec quidquam malī timeās."

Minerva -ae *f* = Iovis fīlia, dea artium

dracō -ōnis (*v. pāg.* 18)

Quibus verbīs audītīs, Cadmus, nihil iam timēns: "Eāmus!" inquit, "Verba deōrum fide dignissima esse cēnseō, neque quidquam malī mē terret; quamobrem, vidē, hastam capiō quā, cum occurrerimus mōnstrō, illud occīdam. Age igitur: eī occurrāmus et vincāmus!"

Postquam dea et vir ad fontem pervēnērunt, Cadmus pulchritūdinem locī mīrābātur: erat enim silva amoenissima, rēge digna; mediā vērō in silvā alta arbor ērigēbātur, vīsū mīrābilis, sub quā erat fōns aquārum frīgidārum, quae vērē



Cadmus draconem hasta transfigere conatur



E draconis dentibus, quos Cadmus in agro sparsit, homines oriuntur

pūrae esse vidēbantur. At in ipsā arbore dea statim virō magnum dracōnem ostendit, quī, simul atque animadvertit eōs adesse, īrātus rubrum suum caput ērēxit et corpus tōtum celerrimē hūc et illūc movēbat, ut eōs terrēret.

ē-rigere -rēxisse -rēctum = tollere

Cadmus vērō, cum mīlitum suōrum ossa, cruōre aspersa, sub arbore iacentia vidēret, nūllō modō dēterritus est nē saevum dracōnem oppugnāret, at prōtinus magnā vōce clāmāvit: “Pereat istud mōnstrum, dignum pessimā morte! Quoniam tantam in mē et amīcōs iniūriam fēcit, certē mihi est pūniendum: nec enim eius ferōcia me dēterret nē in illud impetum faciam!”

ferōcia -ae *f* < ferōx

Haec verba locūtus, dracōnem hastā trānsfīgere cōnābātur, quī tamen celeriter movēbātur et mordēre inimīcum volēbat. Cum vērō dea haec vidēret: “Cavē” inquit “hanc bestiam īnfīdam: nōn enim eam occīdēs, sī modo caput hastā petīveris: in ventrem faciendus est tibi impetus!” Cadmus igitur magnam hastam in īmum dracōnis ventrem tantā vī tantōque impetū mersit, ut bēstiam arborī fīgeret; quae, postquam multum venēnī per ōs effūdit, inter magnōs dolōrēs mortua est.

trāns -fīgere = per medium corpus fīgere

venēnum -ī *n* = māteria quae morbum vel mortem affert | ef-fundere (< ex-)

Dea vērō, cum Cadmum magnā trīstitiā affectum vidēret propter amōrem ergā fīdōs mīlitēs, quī ā dracōne tam horrendā morte erant occīsī, iuvenī, cuī novōs sociōs dare volēbat, suāsit ut dentēs ex ōre dracōnis extractōs in agrō quōdam sereret; quod simul atque factum est, ē terrā hominēs ortī sunt arma gerentēs, quī iuvenem valdē terruērunt; sed Minerva: “Estō fortis, mī Cadme:” inquit, “ illī certē sunt hominēs malī et scelestī, īnfīdī et falsī: nec enim quisquam inter eōs fide dignus est, sed turpissima scelera facient; tū vērō, ut mortem fugiās certam, tuā hastā ūnum eōrum ā tergō pulsā et vidēbis eōs inter sē ūsque ad mortem pugnantēs.”

socius -ī *m* = quī alterum adiuvat

ex-trahere

Minervae verbīs parēns, Cadmus tergum cuiusdam ex illīs mīlitibus ē terrā nātīs hastā percussit: quī, credēns sē ab aliō mīlite pulsātum esse, eum gladiō trānsfīxit; ita iī ferī hominēs ex agrō ōrtī suīs armīs inter sē occīdēbant; post longam autem pugnam eōrum trēs tantum mānsērunt; quōs Minerva Cadmō suāsit ut amīcōs sociōsque acciperet. Cum iīs igitur iuvenis moenia urbis aedificāvit, quam ‘Cadmeiam’ ā nōmine suō vocāvit; incolae autem, post Cadmī mortem, eam ‘Thēbās’ appellāvērunt.

Cadmeia -ae *f*

Thēbae -ārum *f pl*



Apollo persequitur Daphnen, quae a Peneo patre in laurum mutatur

AD CAPITVLVM XXXII

1. Daphnē


Daphnē -ēs *f*

Daphnē, fīlia Pēnēī, quī deus cuiusdam flūminis erat, prīmus amor fuit Apollinis; quī tamen, etiam sī puellae cupiditāte ferē cōnsūmēbātur, ab eā ut amārētur efficere nōn poterat: namque puella eum ōderat atque fugiēbat. Quōmodo id acciderit, nōbīs nārrat Ovidius poēta.

Pēnēus -ī *m*

nōn poterat efficere ut amārētur ab eā

Postquam Apollō, quī deus arcū validissimus est, Pȳthōnem, anguem ingentem et tam terribilem, ut etiam diī eum metuerent, mīlle sagittīs eius corpus percutiēns dēvīcit, ob magnam victōriam valdē gaudēbat atque glōriōsus per viās ībat. Dum vērō sīc superbē sē gerit, Cupīdinem, parvulum deum, arcum amōris flectentem cōnspexit. Clamāvit igitur ad eum rīdēns: “Nōn tibi, parve puer, fortia arma conveniunt: umerōs meōs ista decent, quī nūperrimē sōlus Pȳthonem serpentem interfēcī. Quid opus est tibi arcū? Apud mātrem maneās! Nē laudēs meās cupīveris, nēve posthāc tālibus armīs ūsus sīs!”



Pȳthōn -ōnis *m*

anguis -is *m*

dē-vincere = plāne vincere

(sē) gerere = agere, sē ostendere




Cupīdō arcum flectit

serpēns -ntis *m* = anguis

Tunc Cupīdō, fronte contractā: “Nōn impūne,” inquit, “hoc mihi dīcis. Ecce: cūrābō ut sciās quam fortis sit meus arcus!” Ac statim sagittam acūtam ē pharetrā cēpit, quā superbum Apollinis pectus trānsfīxit. Neque Cupīdinis sagitta est similis iīs, quibus hominēs mortālēs ūtuntur, sed vim habet mīrābilem: nam tanta est illīus sagittae vīs, ut, sī quis eā vulnerātus sit, continuō saevō amōre afficiātur.

impūne = sine poenā



pharetra -ae *f*

trāns-fīgere = per/trāns medium corpus fīgere

similis -e (+ *dat*) = quī idem esse vidētur

Ecce vērō, Daphnē prīma Apollinī amōre flagrantī occurrit, pulcherrima nympha quae, cum ferās in silvīs persequendō et occīdendō atque lībera per campōs currendō

flagrāre = ūrī (: valdē amāre)

nympha -ae *f*: nymphae sunt deae minōrēs quae silvās, montēs, flūmina incolunt

Diāna -ae *f* = dea Iovis fīlia, Apollinis soror

gaudēret dominamque Diānam virginem habēret, numquam virum ūllum cognōverat neque amāverat.

percutere -cussisse -cussum

odium -ī *n* ↔ amor


re-spicere ↔ prōspicere

cōnsistere -stitisse

Vīdit nympham etiam Cupīdō, quī, quoniam Apollinem ob eius superbiam sevērissimē pūnīre cōnstituerat, alteram sagittam, cuius vīs nōn excitat, immō amōrem pellit, ē pharetrā ēductam in puellam iēcit. Itaque, percussō corde utrīusque, nympha odiō affecta fugiēbat, Apollō vērō eam amōre excitātus persequēbātur. Currēbat hic; sed illa tam celeris erat, ut paene volāret. Cum capere puellam frūstrā cōnārētur, sīc deus saepius clāmāvit: "Ō, mī amor, cor meum, sōla mea spēs! Nē mē fūgeris! Respice, ō, respice tantum! Vidē: nōn pāstor quīdam, sed ipse tē sequitur Apollō!" At Daphnē nōn cōnstitit: immō, celerius currēns ac timēns nē deus sē cōnsequerētur, tālia verba sēcum dīcēbat: "Utinam nē iste deus mē fugientem capiat! Quis mē adiuvet? Quō fugiam? Quid faciam? Utinam salva in locum perveniam ubi extrā perīculum sim!"



frōns




cortex -cis *m*

operīrī coeptum est = operīrī coepit

frōns -ndis *f* = arboris folia

rādīx -īcis *f*



rādīcēs agere = rādīcēs in terrā fīgere

laurus -ī *f*



Mox vērō vīrēs omnēs eam dēseruērunt. Tremēbat iam tōtō corpore, pallēbat vultus, odiō erat affectum miserum cor, neque iam tenuis spēs animum tenēbat. Tunc, cum suīs sōlīs vīribus ē tantō perīculō effugere nōn iam posse cēnsēret, patrem, deum flūminis, quod prope fluēbat, precāta est, ut sē adiuvāret: "Ō pater, ōrō tē ut mē adiuvēs! Aut terram aperī, aut mē in aliam fōrmam mūtā! Auxilium ā tē petō!" Vix precēs dīxerat, cum subitō membra cōnstitērunt et corpus cortice operīrī coeptum est. Capillī in frondēs, bracchia in rāmōs mūtāta sunt, vēlōcēs dēnique pedēs rādīcēs ēgērunt. Frūstrā nunc Apollō Daphnēs corpus complectēbātur dūrum ac frīgidum, in eius arboris fōrmam mūtātum, quae 'laurus' appellātur.

Exclāmāvit deus, dolōre māximō permōtus, et: "Nescīs, ō puella cārissima," inquit, "quālem deum fūgeris: at quoniam coniūnx mea esse non potes, arbor eris mea. Capillōs, fidēs, pharetramque mihi semper ōrnābis."

sacer -cra -crum; arbor sacra: arbor alicuius deī

Itaque ex illō tempore laurus Apollinī sacra fuit.

2. Arachnē


Arachnē fēmina fuit, quae arte suā nōbilissima erat: saepe enim nymphae ipsae silvās et flūminis aquās relinquēbant, ut mīrābilia opera ab ea cōnfecta aspicerent. Omnēs dēlectābantur cum eam acū vestēs pingentem spectārent, eamque ūnō ōre laudābant dīcentēs 'Minervam ipsam eius fuisse magistram' Tanta vērō erat Arachnēs superbia, ut, vim deae contemnēns, 'ā sē Minerva facile arte vincī posse' dīcere audēret.

Minerva igitur, postquam tālia audīvit, sordidā veste indūta, cānōs sibi ipsa fēcit capillōs et baculō invalida membra ita sustinēbat, ut plānē anuī similis esset. Quae, Arachnēs domum ingressa, eam salvēre iussit et "Nē cōnsilium meum contempseris, ō Arachnē:" inquit, "ego enim sum anus, et iam saepe vīdī quōmodo deī superbōs hominēs pūnīverint. Veniam igitur ā deā pete propter verba tua temerāria: illa veniam dabit." Cui vērō Arachnē, īrāta: "Nōn opus mihi est cōnsiliīs tuīs, ō stulta anus!" inquit, fronte contractā, "Bene sciō quid dīxerim, et in meā sententiā maneō: cūr nōn ipsa Minerva hūc vēnit, ut mē ipsa reprehenderet? Nōvī quae sit causa: timet nē arte ā mē vincātur!"

Dum tālia dīcit, dea subitō anūs fōrmam ā sē remōvit, et sē clāram et armīs lūcentem ostendit: nymphae, quae ibi aderant, perterritae fūgērunt timentēs nē ipsae ā deā īrātā poenā afficerentur. At Arachnē nihil timuit: "Videāmus" inquit, "utra nostrum melior sit: tū illam vestem, ego hanc acū pingāmus; tū ipsa sentiēs opera mea multō meliōra et pulchriōra tuīs esse: nisi forte timēs nē mēcum tē comparēs!" Minerva vērō "Imprūdenter facis" ait, "quod cum deā certāre vīs, neque sciō quae superbia tibi suāserit ut hoc facerēs: poenam tuī sceleris sentiēs! Utinam posthāc deōs verērī discās!"

Sine morā inter sē certāre coepērunt: Minerva deōrum rēs gestās acū pīnxit: praeter cēterās ante oculōs appārēbat Iovis rēgis imāgō, apud quem Minerva Neptūnum stantem fēcit, quī tridentem manū gerēbat; deinde sē ipsam , indūtam clipeō et acūtam hastam gestantem, multōsque aliōs deōs pīnxit. Dīligenter tandem cūrāvit ut extrēmās vestis ōrās

Arachnē -ēs *f*



nymphae -ārum *f pl* = deae minōrēs quae silvās, montēs, flūmina incolunt

acus -ūs *f* | pingere pinxisse pictum = imāginibus ōrnāre

Minerva -ae *f* = Iovis filia, dea artium

superbia -ae *f* < superbus

cānus -a -um = albus

anus -ūs *f* = fēmina vetus

similis -e (+ *dat*) = quī idem esse vidētur

quae: Minerva

in-gredī -gressum esse ↔ ēgredī


contemnere -tēmpsisse -tēmptum

venia -ae *f* = ignōscendī grātia

in sententiā manēre sententiam nōn mūtāre

timēre -uisse





im-prūdēns -entis ↔ prūdēns

certāre = pugnāre

rēs gestās (deōrum): rēs factās (ā diīs)



tridēns -entis *m*

gestāre = gerere

extrēmus -a -um (*sup*) < extrā

vestis ōra

olea -ae *f*

Eurōpa -ae *f* = puella quam Iuppiter, taurī fōrmā indūtus, rapuit



olea

oleārum foliīs ōrnāret. Arachnē vērō prīmum imāginibus illūstrat quōmodo Eurōpa apud maris lītus taurō ērepta sit: vērus taurus, vērae maris undae esse vidēbantur. Eurōpa ipsa ē dorsō taurī in marī natantis terrās spectāns relictās atque suās amīcās, quae in lītore mānserant, invocāns et ab iīs auxilium petēns cernitur: dīcerēs vōcem eius audīrī posse. Deinde multās aliās fābulās pīnxit; tum Phoebum, et Bacchum; dēnique extrēmam vestis partem pulcherrimīs flōribus ōrnāvit.

manēre mānsisse

Phoebus -ī *m* = Apollō
Bacchus -ī *m* = deus vīnī

Operibus perfectīs, Minerva ipsa, quae labōrem ab Arachnē factum mīrābātur, valdē dubitāvit num vestis, quam ipsa cōnfēcerat, pulchrior esset quam vestis ab Arachnē tantā arte picta: plānē enim intellegēbātur Arachnēn melius opus fēcisse pulchriōrēsque imāginēs pīnxisse.

Tunc Arachnē: “Nōnne meministī” inquit, “quid modo dīxerim? Tam certa sum mē perītissimam artis pingendī esse, ut nōn timeam nē vincar ā tē, quamquam dea es! Nē tamen dēspērāveris! Etsī tam pulchrē vestem pīnxī, ut omnibus meam artem meliōrem tuā esse dēmōnstrāverim, tamen tū quoque satis bonum opus cōnfēcistī.”


perītus -a -um + *gen* = quī rem bene scit

Cum praetereā omnēs nymphae, quae opera spectātum convēnerant, Arachnēs opus admīrārentur atque laudārent, Minerva tam valdē illī fēminae invidēre coepit, ut īram retinēre nōn iam posset: īrātissima igitur ter quaterque eius frontem percussit. Quam iniūriam cum Arachnē aequō animō patī nōn posset, prīmum lacrimāns in locum fūgit, quō nēminem sē cōnsequī posse putābat; deinde laqueō mortem sibi ipsa cōnscīvit.

opera (: imāginēs acū pictās) spectātum convēnerant

īra -ae *f* = animus īrātus

percutere -cussisse -cussum




laqueus -ī *m*

cōnscīscere -scīvisse = statuere; mortem sibi c. = mortem sibi dare

At Minerva eam inventam et in vītam reductam herbae cuiusdam sūcō aspersit; quō factum est ut tōtum eius corpus parvum fieret; in utrōque latere octō gracilia crūra appāruērunt; ex ventre vērō iam ab illō tempore stāmen ēmittit: arānea enim facta, ut anteā, etiam nunc tēlās texit.

tēla



arānea

sūcus -ī *m*: in corpore hūmānō sanguis, in herbīs sūcus inest | aspergere -sisse -sum

stāmen -inis *n* = tenue fīlum | ē-mittere
arānea -ae *f*
tēla -ae *f*
texere -uisse -xtum = ē fīlīs vestem/tēlam cōnficere



Minerva Arachnen in araneam mutat

Īō *f indēcl* = fīlia Īnachī

3. Īō


Īnachus -ī *m* = Graeciae fluvius
rīpa -ae *f* = lītus flūminis
in-gredī ↔ ēgredī

Fuit ōlim in montibus Graeciae vallis amoena ubi arborēs flōribus et herbae umbram dabant ac flūmen Īnachus per silvās campōsque fluēbat. Huius fluviī deus fīliam habēbat cui nōmen Īō dederat; ea virgō valdē iuvenis et fōrmōsa nōn modo in rīpā flūminis, vērum etiam in umbrā arborum, quae prope erant, saepe lūdēbat et sōle gaudēbat, quō campī illustrābantur. Silvam vērō ipsam ingredī numquam ausa erat, metuēns ne ferae sē caperent nēve ab iīs vorārētur.

nemus -oris *n* = silva cum campīs
retinēre -tinuisse -tentum

At quōdam diē Iuppiter, rēx deōrum atque hominum, postquam hanc puellam aspexit, tantō eius amōre captus est, ut eī occurrere et cum eā sōlus colloquī cōnstitueret. Cum igitur sōl in caelō altissimus esset et Īō calōrem vix paterētur, dē caelō ad fluvium Iuppiter dēscendit et puellae appāruit. Tum ad eam hīs verbīs locūtus est: “Dum calidus est aer” inquit “et sōl altissimus in mediō est caelō, silvam pete: nōlī ferās timēre! Ego tē in nemore dēfendam! Nē mē fūgeris, pulcherrima Īō!” Fugere enim cōnābātur neque tamen discedere poterat, nam Iuppiter eam retinuit.

animadvertere -vertisse


vacca -ae *f*

niveus -a -um (< nix) = candidus ut nix

Itaque cotīdiē, cum sōl altissimus erat, silvās petēbant in quibus Iuppiter puellae fābulās narrābat atque Īō ipsa canēbat. Iūnō autem, rēgīna deōrum atque hominum, postquam hoc animadvertit neque marītum in caelō repperit, ad terram dēscendit. Nec tantum īrāta erat, sed etiam puellam ipsam ōderat. Itaque Iuppiter, nē puella ā Iūnōne inventa pūnīrētur, eam in fōrmōsam et niveam vaccam mūtāvit.

cēlāre = occultāre
Argus -ī *m*
cūstōdiendam: ut eam cūstōdīret

At Iūnō, quae cōnsilium eius intellēxerat, hanc vaccam ā marītō poposcit, quī, ut amōrem suum cēlāret, nihil aliud facere nisi eam uxōrī dōnāre poterat. Iūnō tamen adhūc verēns nē dōnum nūper acceptum ā marītō surriperētur, hanc vaccam Argō, pāstōrī et servō suō ēgregiō, custōdiendam dedit. Is enim centum oculōs in capite habēbat neque umquam, dormiēns, omnēs claudēbat: illam igitur miseram diē nocteque spectābat.

amārus -a -um = acerbus (↔ dulcis)

Īō itaque foliīs arborum pāscēbātur, herbam amāram edēbat, aquam ex rīvīs bibēbat, nocte humī cubāns dormiēbat. Nōnnumquam ad pāstōrem manūs extendere atque eum ōrāre

volēbat, at nūlla bracchia habebat. Cum igitur clāmāre cōnārētur, mūgiēbat atque vōce suā ipsa terrēbātur. Aliquandō cum Argō accessit ad rīpās in quibus lūdere solēbat. Quō ubi prīmum pervēnit, sē ipsam in aquā tamquam in speculō vidēns valdē horruit.

mūgīre = 'mū' facere (ut bōs)

horrēre -uisse


Ibi, postquam patrem trīstem sorōrēsque cōnspexit eōsque secūta est, ā patre herbam accēpit et dextram eius, dum ipsa lacrimat, ōsculāta est. Deinde litterīs, quās pede in terrā scrīpsit, fābulam suam nārrāvit. Tum pater: "Mē miserum!" exclāmāvit, "Nunc sciō tē nōn esse mortuam; nunc sciō cūr tū in hanc fōrmam mūtāta sīs. Tē vērō adiuvāre nōn possum! Utinam nē pāstor ille tē abdūcat! Utinam Iuppiter ipse tē adiuvet!" Nec plūra dīcere eī licuit, nam Argus puellam in alium locum abdūxit et ipse in summō monte, unde cūnctam terram vidēre poterat, cōnsēdit: imperium enim Iūnōnis bene meminerat, ideōque semper valdē cūrābat ne quis vaccam raperet.

summus mōns = summa pars montis

Tum Iuppiter, quī puellae numquam oblītus erat, Mercurium arcessīvit: "Nēmō" inquit, "hominum tantā audāciā est ut eam vī līberet. Neque hoc, dōnec Argus vīvit, fierī poterit. Tē igitur rogō, fīlī mī, ut eum occīdās! Tum spērō Īō līberātum īrī."

arcessere -īvisse -ītum

capra



Mercurius statim ālās, petasum, virgam sūmpsit; at cum prīmum in terram vēnit, vestēs pāstōris induit et aliquot capellās virgā per agrōs ēgit. Tum Argus postquam vīdit aliquem capellās agentem, eum ad saxum suum invītāvit. Ibi quamquam diū, nocte iam appropinquante, loquēbantur, Argus tamen nōndum omnēs oculōs claudēbat. Itaque Mercurius eī longam fābulam vōce tam suāvī narrāre coepit ut dēmum Argus obdormīverit. Cum igitur deus nārrāre dēsiit, virgā suā somnum eī auxit, atque Argī caput gladiō secuit.

capella -ae *f* = parva *capra*

invītāre = vocāre, rogāre ut veniat

suāvis -e = iūcundus, quī dēlectat

ob-dormīre = incipere dormīre

augēre -xisse -ctum

Hoc cum prīmum Iūnō cognōvit, oculōs Argī in caudā et in pennīs pāvōnis, avis suae, posuit, ubi adhūc vidērī possunt. Vaccam autem, quam Iūnō causam mortis Argī esse putāvit, per omnēs terrās ēgit.

pāvō -ōnis *m*



Tandem Īō fessa ad Nīlum pervēnit, ubi in rīpā flūminis oculōs ad stēllās sustulit atque ōrāvit ut fīnis malōrum iam esset. Nec Iūnō precēs eius contēmpsit, sed eam hāc servitūte

contemnere -tēmpsisse -tēmptum



Postquam Mercurius Argi caput secuit, Iuno eius oculos in cauda pavonis ponit

līberāvit ac fōrmam hūmānam, quam anteā habuerat, pulcherrimae puellae reddidit. Quam posteā Aegyptiī haud procul ā fluviō inventam sibi ipsī rēgīnam ēlēgērunt, eīque post mortem statuam ingentem et magnificam in templō posuērunt.

quam: Īō
rēgīna -ae *f* = rēgis coniūnx
statua -ae *f* = signum hominis

4. Baucis et Philēmōn

Baucis -idis *f* = uxor Philēmonis
Philēmōn -onis *m* = marītus Baucidis

Iuppiter, deōrum et hominum rēx, et Mercurius, fīlius eius, ōlim in fōrmam hominum sē mūtāvērunt et ad terram dēscendērunt ut mōrēs hominum vidērent. Aliquandō igitur velut pauperēs vestītī urbem magnam intrāvērunt ubi multae tabernae mercātōriae, multa templa, ingēns amphitheātrum erant. Illīc spērābant sē hominēs bonōs inventūrōs esse. Itaque singulās domōs ubi dīvitēs habitābant adībant, cibum rogābant, ab incolīs urbis quaerēbant num apud eōs aliquantum requiēscere possent. At nēmō illōrum, etsī omnēs magnās dīvitiās habēbant, bonō animō erat, immō nōnnūllī iīs minābantur atque eōs celeriter abīre iubēbant.

dīvitēs *hominēs*

Ō, superbam et īnfestam pauperibus urbem! Eius incolae tantum opēs suās tuēbantur atque cōpiam nummum amīcitiae praeferēbant, pauperēs vērō contemnēbant. Timēbant tantum nē quis opēs suās surriperet nēve ipsī pecūniam suam āmitterent. Ita haud rārō fīēbat ut dī verba pessima audīrent atque ā līminibus in viās pellerentur. Nam dīvitēs dīcēbant: "Abīte et nōlīte revertī! Nūllus vobīs apud nōs est locus! Nē iterum iānuam huius domūs pulsāveritis!"

opēs -um *f pl* = dīvitiae
numm*um* = numm*ōrum*

Iuppiter et Mercurius, tālia passī, iam vix crēdēbant ūllōs esse hominēs bonōs in orbe terrārum. Vesperī autem parvam casam cōnspexērunt. "Utinam" inquit Mercurius, "illīc hominēs bonō animō, nōn nimiā audāciā habitent! Utinam nē nōs in viam pellant!" Hīs verbīs dictīs iānuam pulsāvērunt casae, in quā Baucis cum Philēmone habitābat. Hī quamquam senēs et pauperiōrēs, tamen fēlīciōrēs et meliōrēs erant hominēs quam cēterī cīvēs.

casa -ae *f* = parva domus pauper (*v. pāg.* 17)


Ubi sonum audīvērunt, Philēmōn iānuam aperuit, advenās intrāre et cōnsīdere iussit. Deinde statim ignem suscitāvit quem foliīs et cortice siccō nūtrīvit nē hospitēs frīgora

advena -ae *m/f* = is quī advenit
cortex -icis *m/f* = (*v. pāg.* 82) pars externa arboris (externus -a -um ↔ internus)
nūtrīre -īvisse -ītum = alere



olīvae


prūnum

operīre -uisse -rtum
accumbere -cubuisse
anus -ūs *f* = fēmina vetus
olīva -ae *f* | cāseus -ī *m* (*v. pāg.* 53)
prūnum -ī *n*

favus -ī *m*


animadvertere -vertisse


ānser -eris *m*

aetās -ātis *f* = annī quōs aliquis vīxit

quī anser

cōn-fugere -fūgisse = fugere in locum tūtum

vetāre -uisse -itum

addere -didisse -ditum

summus collis = summa pars collis

pārēre -uisse

palūs -ūdis *f* = locus ūmidus

aurātus -a -um = aurō opertus


sentīrent; ipsī enim nē ligna quidem habēbant atque domus frīgida erat. Tum Philēmōn holera ex hortō allāta in culīnā parāvit et coxit. Postrēmō veterem lectum vīlibus vestīmentīs operuit: nec enim alia pretiōsiōra aut cāriōra habēbant. Postquam dī accubuērunt, anus mēnsam apposuit. Ibi in vāsīs prīmum holera et olīvās et cāseum et pānem, deinde prūna et nucēs et māla et ūvās et pōculum lactis plēnum hospitibus obtulērunt. In mediā mēnsā vērō favum cum melle apium posuērunt.

Hospitēs ēdērunt et bibērunt nec tamen umquam lactis copia in pōculō minuebatur. Cāseus etiam māior, mel dulcius, ūvae māiōrēs, rubriōrēs, dulciōrēs erant quam anteā. Baucis haec animadvertit et senī nūntiāvit. Ille prōtinus stupēns "Advenae" parva voce inquit, "mortālēs nōn sunt! Fortasse meliōrem et dulciōrem cibum cupiunt! Nostrum ānserem occīdēmus et coctum appōnēmus."

Senex igitur domō in hortum exiit ut ānserem necāret. Ānser autem celerior erat quam senex quī ob aetātem iam nimis tardus factus erat. Itaque etsī senēx omnibus vīribus ānserem capere cōnābātur, tamen cōnsequī nōn poterat. Quī dēmum per iānuam apertam domum intrāvit atque ad deōs ipsōs cōnfūgit. Dī autem senem, quī cultrum dextrā tenēbat, ānserem necāre vetuērunt. Deinde alter ē duōbus haec verba addidit: "Dī sumus, vestram casam relinquite et nōbīscum ad summum collem venīte!"

Tum Baucis et Philēmōn, baculīs sūmptīs, tacitī dīs pāruērunt et profectī sunt. Tandem ad summum collem pervēnērunt. Tunc eōs dī rūrsus ad casam prōspicere iussērunt. At illīc senēs nūllās aliās domōs praeter suam casam vīdērunt quae sōla in latere collis stābat; nam omnia cētera palūde erant submersa. Itaque spectantēs maerēbant quod omnēs incolae urbis perierant.

Intereā dī domum eōrum in templum mūtāvērunt cuius tēctum aurātum, iānua gemmīs ōrnāta, columnae candidae erant. Tum Iuppiter, "Nōlīte" inquit "propter cīvēs improbōs lacrimāre. Nōlīte eōrum reminīscī. Quis enim ignōrat quam superbī fuerint? Quis nescit quanta mala pauperēs apud eōs passī sint?



Baucis et Philemon, quorum casa in templum est mutata, Iovis sacerdotes fiunt

libenter *adv* = cum gaudiō

sacerdōs -ōtis *m/f* = vir/fēmina cuius negōtium est diīs servīre

Dīcite igitur, sī quid habēre velītis, et ego vōbīs libenter dabō." At illī timidē "Sacerdōtēs" respondērunt "tuī templī esse velīmus, dum vīvēmus, tum etiam eōdem diē morī, quoniam neuter nostrum sōlus vīvere potest. Nūllā aliā rē nōbīs opus est."



sertum -ī *n* = flōrum catēna

Libenter rēx deōrum atque hominum hoc, quod postulābant, iīs dedit. Multōs igitur annōs Philēmōn et Baucis sacerdōtēs templī Iovis fuērunt, et tandem eōdem diē dī eōs in arborēs mūtāvērunt. Eōrum inter rāmōs etiamnunc incolae illīus locī flōrum serta pōnere solent.

Callistō -ūs (*acc/dat/abl* -ō) *f*
Arcas -adis *m* = fīlius Callistūs et Iōvis

5. Callistō et Arcas

Arcadia -ae *f* = Graeciae rēgiō

superāre = vincere, melior esse quam

Callistō optima omnium feminārum in Arcadiā habitantium fuit, Arcasque, eius fīlius, pulcherrimus omnium puerōrum esse vidēbātur. Tanta erat eius fēminae vīs, ut cum puellae, quae in illā regiōne vitā rūsticā fruēbantur, in silvīs hūc et illūc currerent, celerrima Callistō semper esset eāsque omnēs facile superāret; cum vērō cantāret, vōx eius tam dulcis erat, ut bēstiae quoque ferae, cantū eius allectae, ad audiendum accēderent; cum autem cum aliīs puellīs flōrēs carperet, pulcherrimum quemque carpēbat; cum lānam facerent, illa vestēs ēgregiās praeter cēterās perficiēbat; cum tandem ferōcēs bēstiās persequerentur, semper Callistō māximum et ferōcissimum animal cōnsecūta capere et occīdere solēbat.

fortitūdō -inis *f* < fortis
probitās -ātis < probus

Omnēs igitur Callistō summīs laudibus afficiēbant eiusque vīrēs tam multum admīrābantur ut dē eā eiusque factīs omnēs hominēs fābulārentur, atque ūnō ōre optārent ut praemia fortitūdinis ac probitātis ā deīs acciperet. Quod tamen initium fuit adversae fortūnae.

rēgīna -ae *f* = rēgis coniūnx

animadvertere -vertisse

Cum enim tālēs rūmōrēs et laudēs ad aurēs Iūnōnis, rēgīnae deōrum, pervēnērunt, ea tantā invidiā affecta est ut, simul atque haec audīvit, Callistum pūniendam esse statuerit. Iūnō enim eam, quam tot laudibus superbam factam esse cēnsēbat, minimē laudandam esse putāvit, immō sevēram poenam in eam statuendam esse crēdidit, etiam quia Iovem, marītum suum, illīus puellae amōre captum esse animadverterat.

Īrāta igitur sēcum ipsa dīcēbat: "Ignōrō quae ista fēmina sit et quid ūsque ad hunc diem fēcerit, neque eius nōmen anteā umquam audīveram; at cūrābō ut eius fāma dēleātur, neu mihi, deōrum rēgīnae, nocēre iam audeat!"

Nesciēbat autem quō suppliciō eam afficeret. Haud scīmus an capite eam pūnīre voluerit: seu tamen eam necāre nimis clēmēns cōnsilium exīstimāvit, seu iūre timuit nē Iuppiter Callistō tuērētur, tam prūdentius quam crūdēlius cōnsilium ut eam cruciāret cōnstituit: Callistō in ursam mūtāndam esse cēnsuit.

timēre -uisse

Ex altō igitur Olympō in Arcadiam eō cōnsiliō dēscendit, ut Callistō, quae tunc in silvīs errābat, occurreret. Cum prīmum vērō puella Iūnōnem in silvā ambulantem vīdit, eam, quam mortālem fēminam esse crēdēbat, ut mōs est, salvēre iussit; Iūnō vērō prō verbīs dulcibus acerba dicta reddēns, puellae imperāvit ut tacēret neu tantā audāciā coram deā loquerētur: "Heus tū," inquit, "improba mortālis: nē mihi vīlia fēceris verba!"

Olympus -ī *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant

Cui Callistō, tālia dicta mīrāta, respondēns, "Quam tibi iniūriam tam gravem equidem fēcī" stupēns rogāvit, "ut mē tam valdē ōderis? Utinam nē mē, quae, cum ignorārem tē deam esse, nihil aliud fēci nisi tē humanē salutāvi, pūnīre velīs!" Iovis vērō uxor: "Ō superba puella," āit, "tua nēquam audācia haud grāta mihi est! Nē quidquam dīxeris, sed dēsine loquī!" Tum vultū sevērō intuēns, Callistō minābātur sē eius superbiam pūnitūram esse.

superbia -ae *f* < superbus

Callistō, hīs verbīs audītīs, genua flexit, sed cum prae metū deam precibus ōrāre ut sibi ignōsceret nōn posset, mūta ac multīs cum lacrimīs flēvit. Dēmum Iūnō, ubi prīmum eam perterritam esse vīdit ac tōtō corpore tremere animadvertit, dextram sustulit ut eam hastā percuteret: Callistō vērō tantō timōre affecta est, ut ad terram ceciderit ibique iacuerit. Simul atque igitur Iūnōnis hastā tācta est, prīmum eius bracchia in crūra mūtāta sunt, deinde digitī in ursae unguēs convertī coeptī sunt, dēnique tōtum corpus nigrum colōrem dūxit. "Nē oblīta sīs," inquit dea "laudem et victōriam perpetuam deīs tantum convenīre." Quibus verbīs dictīs, sūrsum in caelum rediit.

flēre -ēvisse

iacēre -cuisse



ursa

ursa -ae *f* | unguis -is *m* (*v. pāg.* 63)
convertī coeptī sunt = convertī coepērunt
dūxit: sūmpsit

perpetuus -a -um = quī numquam fīniētur, sine fīne

Ex eō tempore Callistō, quae fōrmam et vultum ursae habēbat, maestissimē circum domum suam errābat fīlium cārissimum, quem cōnspicere nōn poterat, ubīque quaerēns. Nocte vērō in silvīs humī cubābat. Cum vērō timēret nē alia animālia sibi nocērent, numquam eīs appropinquābat, nec sine māximō dolōre eius temporis reminīscēbātur, cum in silvīs sine metū bestiās persequēbātur. Sīc circiter quīndecim annōs sōla vīxit.

vagārī = errāre

currere cucurrisse

verērī -itum esse

pharetra -ae *f* (*v. pāg.* 81)

Ōlim autem Arcas, quī intereā iuvenis fortissimus factus erat, cum in silvā errāret ut ferās persequerētur, eam, quam ursam esse putāvit, forte inter arborēs vagantem cōnspexit. Callistō vērō, quae statim eum cognōvit, ad eum cucurrit ut fīlium, quem valdē amābat, post tot annōs tandem complecterētur. Arcas autem oculōs ursae in sē fīxōs timuit, et veritus nē bēstia in sē impetum faceret, eō unde vēnerat fūgit. At cum vidēret ursam sē persequī, sagittam ē pharetrā prōmpsit arcumque sustulit.


Iuppiter autem inexspectātus dē caelō dēscendēns, sagittam ē manibus eius abstulit et mātrem fīliumque in stellās clārissimās mūtāvit, quās in caelō inter aliās posuit: hōc modō eōs adversīs rēbus, quibus premēbantur, līberāvit, eīsque quasi secundam fortūnam reddidit.

rēgnum -ī *n* = rēgis imperium

Postquam Iūnō haec animadvertit, ad Neptūnum, deum Ōceanī, īvit. “Iuppiter,” inquit, “mulierī eiusque fīliō, quōs ipsa contemnō et ōdī, loca in caelīs dōnāvit. Ō Neptūne, hoc ūnum tē ōrō: nē eōs in rēgnum tuum recēperis! Semper eōs ā marī prōhibeas!”

Iūnō dēmum Neptūnō persuādēre potuit ut eōs hāc poenā afficeret; itaque illae stēllae ē quibus Ursa Māior et Ursa Minor cōnstant, in altō caelō etiamnunc semper manent neque umquam Ōceanō submersae ē conspectū hominum discēdunt.

Ursa Minor



Ursa Māior



Arcas sagittam in ursam missurus est, at Iuppiter eum et matrem in stellas mutat



Perseus de caelo in monstrum impetum facit, ut Andromedam ad saxa vinctam servet

AD CAPITVLVM XXXIII

1. Andromeda

Andromeda -ae *f*

Fuit Andromeda pulcherrima virgō, fīlia Cassiopēae et Cēpheī, quī in Asiā rēgnābant. Ā prīmā aetāte tam fōrmōsa fuit puella, ut omnēs eius pulchritūdinem admīrārentur. Cum vērō ad sextum et decimum annum Andromeda pervēnisset, eius māter, interrogāta quid dē tam pulchrā fīliā sentīret, sine mōrā respondit sē certō scīre nē Nērēidās quidem tantā pulchritūdine ōrnātās esse. "Utinam" inquit "hīc adessent illae maris nymphae! Tunc enim omnēs vidērētis meam Andromedam iīs multō pulchriōrem esse!"

Cassiopēa -ae *f*
Cēpheus -ī *m* | ā prīmā aetāte *suā* ā tempore quō parva puella erat
Nērēidēs -um *f pl* *Nymphae* maris
nymphae -ārum *f pl* = deae minōrēs quae silvās, montēs, flūmina, maria incolunt

Eius verba, ventīs flantibus vēcta, ūsque ad Nērēidum aurēs allāta sunt; quae, cum haec audīvissent, īrātae ob mortālis fēminae superbiam, statim ad Neptūnum cucurrērunt, quī primō mīrābātur cūr tam turbātae esse vidērentur: cum vērō illae verba, quae Cassiopēa fēcerat, eī narrāvissent, Neptūnus, quī eam sevērē pūnīre cōnstituit, ē mediō Ōceanō novum nec umquam anteā vīsum mōnstrum ēvocāvit, ut incolās eius rēgiōnis, in quā Andromedae parentēs rēgnābant, vorāret eōrumque agrōs vāstāret.

superbia < superbus
currere cucurrisse
ē-vocāre
vāstāre = (frūgēs agrōrum) perdere

Saevissima igitur illa bēstia tantam cīvium caedem fēcit, ut Cēpheus rēx, nē tōtus populus perīret, Neptūnī templum adīverit deumque multīs precibus ōrāverit ut illud malum a sē suīsque cīvibus āverteret. Precēs audīvit Neptūnus, neque tamen cōnsilium mūtāvit, cum superbiam rēgīnae per illud mōnstrum pūnīre vellet.

rēgīna -ae *f* = rēgis coniūnx, fēmina rēgnāns

Cum igitur Cēphēus interrogāvisset quid facere posset, ut cīvēs suōs tantō periculō liberāret, deus statim eī dīxit

Andromedam fīliam bēstiae offerendam esse. “Quod sī fēceris” inquit terribilī voce Neptūnus, “ferum mōnstrum, quod ad vāstandōs agrōs hominēsque vorandōs mīsī, ā tuā regiōne abībit et iterum in mare, unde vēnit, redībit.”

Rēx, tālī respōnsō audītō, maerēns ad uxōrem rediit eīque narrāvit quid deus dīxisset. Quae, cum eius verba audīvisset, multīs lacrimīs effūsīs, marītō persuādēre cōnāta est, nē deī imperāta faceret; ille vērō, cum cupidus populī suī servandī esset, quamquam valdē fīliam suam amābat, quod deus postulābat faciendum esse cōnstituit. Iussit igitur Andromedam ad maris lītus addūcī, atque catenīs ferreīs ad saxum vincīrī. Māter plōrāns ad Cēphēum “Quōmodo” clāmābat, “hoc fācere potuistī, mī vir?” Quī, inter lacrimās, quās ipse quoque cōpiōsē effundēbat, “Quaeris ā mē, ō uxor, ” inquit, “cūr tam saevus fuerim, ut fīliam ad certam mortem mīserim. Nisi autem hoc fēcissem, illa bēstia nēminī nostrum pepercisset atque omnēs agrōs nostrōs vāstāvisset. Rēgis officium est servāre cīvēs suōs.”

imperātum -ī *n* = quod imperātur

ad-dūcere ↔ ab-dūcere

cōpiōsus -a -um < cōpia

parcere pepercisse

Forte vērō Perseus in illīus regiōnis ōrā errābat; quī, cum pulcherrimam illam virginem ad dūra saxa vīnctam cōnspexisset, prīmum deae cuiusdam signum eam esse crēdidit; deinde vērō, cum ventum capillōs leviter movēre atque ex oculīs lacrimās effundī vīdisset, valdē stupuit atque ad puellam, cuius tantā pulchritūdine captus erat, accessit tālia verba dīcēns: “Ō fōrmōsissima virgō, tū istīs catēnīs mihi indigna esse vidēris: dīc mihi quid sit tibi nōmen et quā in regiōne versēmur; mihi quoque narrā cūr haec vincula gerās.”

Perseus -ī *m*

quid (:quod) sit tibi nōmen

Prīmō siluit illa, nec cum virō ausa est loquī; vultum etiam manibus operuisset, nisi vīncta esset. Pudēbat enim oculōsque replēvit lacrimīs; deinde, cum Perseus etiam atque etiam interrogāret, nē vidērētur nōlle cāsūs suōs fatērī, quod nōmen illī terrae esset dīxit, neque occultāvit quōmodo ipsa vocārētur. Tum nārrāvit quid māter superbē affirmāvisset, quid vērō, ut eam pūnīret, imperāvisset Neptūnus. At, nōndum memorātīs omnibus rēbus, horrendus sonus ē maris flūctibus audītus est. Ingēns bēstia, cum ē mediō marī ēmersisset, celerrimē ad lītus veniēbat. Clāmāvit virgō: maerēbat pater,

silēre -uisse

re-plēre -ēvisse -ētum = implēre

cāsus -ūs *m* = id quod accidit

ē-mergere = exīre (ex aquā)

et māter paene āmēns adstābat; neuter tamen auxilium ūllum ferre poterat, sed tantum lacrimās illō tempore dignās effundebant, nec sē ā vinctō fīliae corpore movēbant.

ā-mēns -entis = cui mēns abest
ad-stāre = prope stāre

Perseus vērō "Nōn est nunc tempus lacrimandī:" inquit, "opem nunc ferre necesse est, nē virgō ā mōnstrō vorētur!" Ōrāvērunt igitur parentēs "Tū, quī es fortissimus, fer auxilium puellae nostrae in summō perīculō versantī! Sī eius vītam servāveris, eam tibi uxōrem dabimus!"

opem ferre = auxilium ferre

Gerēbat in pedibus Perseus calceōs ālīs ōrnātōs, ita ut, sīcut Mercurius, volāre posset. Cum ergō terram pedibus pulsāvisset, sūrsum in āere ūsque ad nūbēs volāvit; inde vērō, tamquam aquila dē caelō celerrimē dēscendēns, in mōnstrī tergum impetum fēcit, gladiumque suum in dextrum ferae umerum īnfīxit. Quae, cum graviter vulnerātam sē esse sēnsisset, prīmum sē in aquās mersit; deinde ex flūctibus surrēxit, horrenda vīsū; tum Perseum iterum iterumque mordēre cōnābātur, at ille, hūc illūc vēlōcissimē volāns, eius impetūs facile vītābat; dēnique māximā cum vī saevam bēstiam etiam atque etiam in complūribus corporis partibus ēnse vulnerāvit, dōnec illa, multō sanguine ēffūsō, ex vulneribus mortua est.

īn-fīgere
sentīre sēnsisse

Gaudent Andromedae parentēs, laetantur cīvēs, Perseumque victōrem salūtant: "Nisi tū auxiliō nōbīs vēnissēs" inquit Cēphēus, "certe fīlia mea horrendā morte periisset. Ecce, eam uxōrem accipe: diī vōs tueantur!"

Perseus, cum ad saxum, ad quod erat vīncta Andromeda, accessisset, pulcherrimam virginem, adhūc metū affectam, catēnīs solvit ac multīs verbīs cōnsōlātus est; posteā eam, quae beātam sē esse arbitrābātur cum tam fortis et pulchrī virī uxor facta esset, sēcum dūxit.


Chimaera

2. Bellerophōn

Bellerophōn -ontis *m*

Bellerophōn fuit vir audāx et fortis, quī in Graeciā habitābat; rēx autem, quī eī invidēbat eumque interficere cōnstituerat, ad rēgiam eum vocāvit et "omnium virōrum, " inquit, " quī in urbe habitant, validissimus mihi vidēris esse. Chimaeram igitur, saevissimum illud animal quod campōs nostrōs īnfēstat, pete et armīs tuīs occīde!"

rēgia -ae *f* = domus rēgis

Chimaera -ae *f*

īnfēstāre = īnfēstum et perīculōsum facere

Bellerophōn igitur, cum haec audīvisset, trīstis et maestus ā rēgiā ad Polydum, callidum virum, abiit, ut eius cōnsilium peteret. Quī quidem, rē audītā, eī suāsit ut ad deae Minervae templum nocte silentī īret, ibique prope deae signum dormīret. Bellerophōn, postquam grātiās Polydō ēgit, sōle occidente domō exiit, ut Minervae templum peteret; quō cum ingressus esset, ad signum accessit, sub quō recumbēns dormīvit.

In somnīs vērō dea Minerva eī dormientī appāruit, quae "Ō Bellerophōn" inquit, "ecce: aureum frēnum tibi dō; quaere igitur Pēgasum, equum quī ālās habet et volāre potest tamquam magna quaedam avis." Haec cum dīxisset, abiit.

Māne Bellerophōn, cum oculōs aperuisset, aureum illud frēnum, quod in somnīs dea eī dederat, cōnspexit; quō sūmptō, ē templō exiit, ut Pēgasum, equum illum ālātum, quaereret. Diū autem frūstrā in silvīs, collibus, campīs et agrīs errāvit, neque equum illum invenīre potuit; tandem vērō, cum fontem petīvisset, quem silvae cingēbant, inter dēnsās arborēs sē occultāvit ibique mānsit spērāns Pēgasum ad illum fontem, ut biberet, ventūrum esse.

Postquam diū ita exspectāvit, Pēgasus in caelō appāruit, equus magnus et pulcher, quī ut aquila in orbem suprā fontem volābat; cum autem dē caelō dēscendisset, ad fontem appropinquāvit, unde frīgidam aquam bibit; cum igitur bibisset, in campō errābat ut herbam carptam ēsset. Subitō vērō Bellerophōn ē silvīs proximīs excurrēns, impetū in Pēgasum factō, cuius capitī aureum frēnum īnseruit, in equī tergum ascendit; cum autem ibi cōnsēdisset, Pēgasus ē terrā ēvolāvit atque "Quid vīs" inquit, "domine?" Cui Bellerophōn respondit sē Chimaeram, saevissimum animal, interficere velle.

Postquam diū Pēgasus volāvit, tandem Bellerophōn, quī eius dorsō īnsidēbat, ex altō aēre dēspiciēns, Chimaeram, mōnstrum horrendum (cui duo erant capita, quōrum alterum leōnis, alterum vērō caprī; cauda autem dracōnis), cōnspexit, quod crūdēlissimum vidēbātur esse flammāsque ex ōre exspīrābat. Nūllō tamen metū turbātus, Bellerophōn, fortissimus adulēscēns, acūtam sagittam ē pharetrā suā sūmptam mīsit, quā ferōcissimum illud animal trāiēcit.

Polydus -ī *m*
callidus -a -um = prūdēns
Minerva -ae *f* = Iovis fīlia, dea artium

in-gredī -gressum esse ↔ ēgredī


frēnum -ī *n*

Pēgasus -ī *m*


quō: frēnō

ālātus -a -um = quī ālās gerit

fōns fontis *m* = aqua ē terrā ērumpēns (*v. pāg.* 44) | dēnsus -a -um (↔ rārus) = frequēns

ut herbam carptam ēsset = ut herbam carperet et ēsset

īnserere -seruisse -sertum + *dat* = pōnere in


caper -prī *m*

īn-sidēre (+ *dat*) = sedēre in

dracō -ōnis *m* (*v. pāg.* 18)
flamma -ae *f* (*v. pāg.* 68)

ex-spīrāre

pharetra -ae *f* (*v. pāg.* 81)

trā-icere -iō -iēcisse -iectum (< trāns + iacere) = per medium corpus percutere

Quamquam vērō, postquam prīmam ēmīsit, multīs aliīs sagittīs Chimaeram vulnerāvit, Bellerophōn eam interficere nōn poterat; longam igitur hastam, cuius in extrēmā parte plumbum addiderat, magnā vī in bēstiae ōs iniēcit; cum vērō ignis calōre, quī ex ōre ēmittēbātur, plumbum mollītum esset, horrenda illa fera, ustīs visceribus, inter māximōs dolōrēs mortua est et humī iacuit.

ē-mittere

plumbum -ī *n* = metallum grave ac vīle quod facile mollītur
in-icere -iō -iēcisse -iectum = iacere in

iacēre -cuisse

Cum igitur Bellerophōn saevum illud animal mortuum vīdisset, ad rēgem redīre cōnstituit, ut eī Chimaeram necātam esse nūntiāret. Pēgasus ergō, trāns mare tamquam magna avis volāns, dominum in dorsō suō sedentem ad rēgiam redūxit. Quō cum pervēnisset, Bellerophōn rēgem adiit et "Ō rēx," inquit, "Chimaera, quam tū necārī iusserās, mortua est. Egō vērō, quī hāc nece mē fortissimum virum esse mōnstrāvī, fīliam tuam in mātrimōnium nunc dūcere volō." Rēx igitur, cum vīdisset sē tantō virō resistere nōn posse, fīliam suam fōrmōsissimam in mātrimōnium dedit.

mātrimōnium -iī *n* = coniugum vīta commūnis; in m.um dūcere = uxōrem suam facere

Cum autem pulcherrimam uxōrem, amplum rēgnum magnāsque dīvitiās habēret, mox Bellerophōn tam superbus factus est, ut inter deōs immortālēs vīvere vellet. Ascendit igitur in equum et "Ō Pēgase," inquit, "ad summum Olympum volā: ibi enim, inter deōs beātōs, habitāre cupiō." Pēgasus, cum haec dominī verba audīvisset, statim sūrsum ē rēgiā ēvolāvit. Cum vērō Iuppiter dē nūbibus dēspiciēns eōs ad montem Olympum appropinquantēs vīdēret, īrātus propter Bellerophontis superbiam, muscam dē caelō mīsit, quae in equō cōnsīdēns eum momordit. Pēgasus igitur, cum muscae morsum sēnsisset, ob dolōrem sē ita concussit ut dominum dē caelō ad terram dēiēcerit. Bellerophōn autem, quamquam ex altō locō cecidit, nōn mortuus est, sed, claudus et caecus factus, reliquam vītam miserē ēgit. Sīc eius superbia pūnīta est.

amplus -a -um = magnus et lātus
rēgnum -ī *n* = rēgis imperium

Olympus -ī *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant



superbia -ae *f* < superbus | musca -ae *f*
morsus -ūs *m* < mordēre
con-cutere -cussisse -cussum = quatere
dē-icere -iēcisse -iectum < dē + iacere
cadere cecidisse
vītam agere = vīvere

3. Gāius Mūcius Scaevola

Scaevola -ae *m* < *scaevus -a -um* = laevus;

Porsenna fuit rēx Etrūscōrum, quī magnō mīlitum numerō urbem Rōmam oppugnāvit. Rōmānī, cum parātī essent ad urbem dēfendendam, fortissimē prīmum hostium impetum sustinuērunt; posteā vērō, cum Porsennae mīlitēs numerō

Porsenna -ae *m*
Etruscī -ōrum *m pl* = *Etrūriae* incolae
Etrūria -ae *f* = Tuscia (*v. pāg.* 60)

sustinēre -tinuisse -tentum


longē superiōrēs essent, necesse fuit Rōmānīs intrā urbis moenia manēre.

Porsenna igitur, cum, impetum etiam atque etiam in mūrōs facere cōnātus, urbem expugnāre nōn potuisset, castra in campō extrā moenia posuit: exspectāre enim cōnstituerat dōnec Rōmānī tandem, omnī cibō cōnsumptō, lēgātōs mitterent pācem petītum.

occultē ↔ apertē
sē cōn-ferre (in locum) = īre

Ante lūcem vērō Gāius Mūcius, adulēscēns nōbilis, cui indignum esse vidēbātur populum Rōmānum ab Etrūscīs in urbe inclūsum tenērī, cum mortem glōriōsam prō patriā nōn timēret, māximum perīculum adīre cōnstituit, et in hostium castra eō cōnsiliō occultē sē contulit, ut rēgem Porsennam suā manū interficeret.

tabernāculum -ī *n*



rīma -ae *f*



vāgīna -ae *f*

in-gredī -gressum esse ↔ ēgredī

purpureus -a -um < *purpura* (: color ruber pretiōsus)

Cum igitur, portās castrōrum, quamquam ā mīlitibus armātīs cūstōdiēbantur, trānsīre potuisset, per magnam hostium turbam ad rēgis tabernāculum prōgressus est, neque quisquam Etrūscōrum eum vestīmentīs indūtum Rōmānum esse cognōvit.

Itaque, cum ad tabernāculum accessisset, per rīmam aspiciēns, duōs virōs intus sedentēs vīdit, quōrum alter scrībēbat alterō recitante. Mūcius ergō, gladiō ē vāgīnā ēductō, in tabernāculum ingressus, in virum scrībentem impetum fēcit, quī, cum purpureīs vestīmentīs esset indūtus, rēx eī esse vidēbātur, et clāmāns “Ita tē, Porsenna, occīdō!”, eum gladiō percussit.

scrība -ae *m* = servus doctus cuius officium est scrībere

Cum vērō ille ex gravissimō vulnere mortuus esset, alter, quī ex sellā, in quā sedēbat, surrēxerat, clāmāvit: “Ego Porsenna sum! Tū nunc, scelestissime, quī scrībam meum prō mē interfēcistī, ad mortem dūcēris!” simulque imperāvit mīlitibus suīs ut Mūcium prehenderent. Quī quidem, cum ad rēgem tractus esset “Rōmānus sum” inquit “cīvis; Gaium Mūcium mē vocant. Hostis hostem occīdere voluī; nec animus minus parātus est ad mortem quam fuit ad caedem: et facere et patī fortia Rōmānum est. Quod ego perficere nōn potuī, aliī iuvenēs Rōmānī facient.”

cōnsilium capere = cōnstituere

 āra -ae *f* (*v. pāg.* 19)

Rēx igitur, īrātus et perīculō territus, minātus est sē eum ignibus cruciātūrum esse, nisi cōnfessus esset quae cōnsilia Rōmānī cēpissent; tum Mūcius, cum āram prope sē stantem

vīdisset, dextram in ignem, quī ibi ārdēbat, impōnēns "Ecce tibi," inquit, "ut intellegās quam vīle corpus sit iīs quī magnam glōriam vident!"; neque manum retrāxit, sed quasi nihil sentīret, tōtam exussit.

ārdēre -sisse -sum = ūrī

ex-ūrere -ussisse -ustum

Rēx vērō, fortissimum iuvenis animum mīrātus, cum eum āmovērī ab ārā iussisset, "Abī!" inquit, "tū, quī tam audācem tē ostendis! Utinam prō meā patriā ista virtūs stāret! Nunc iūre bellī līberum tē hinc dimittō."

ā-movēre

Rōmānī, Mūciī virtūtem valdē laudantēs, eī 'Scaevolae' cognōmen ā clāde dextrae manūs dedērunt eīque agrum prope urbem dōnāvērunt. Porsenna autem Rōmā abiit et in Etrūriam rediit. "Tam validōs" inquit "virōs vincere nōn possum."

ā clāde: ā iactūrā

4. Lāomedōn et Hēsiona


Lāomedōn -ontis (*acc Gr* -onta) *m*
Hesiona -ae *f*

Cum Apollō per Asiae terrās errāret, vīdit Lāomedonta rēgem prīma moenia Trōiae, locō ad urbem statuendam idōneō, magnō cum labōre aedificāre conantem. Opus erat ingēns, neque parvās divitiās poscere vidēbātur. Apollō igitur, cum rēgem in opere perficiendō adiuvāre vellet, unā cum Neptūnō mortālem fōrmam induit; tum deī, cum ad rēgem adiissent, sē in murīs aedificandīs auxilium lātūrōs esse dīxērunt; postulāvērunt vērō ut Lāomedōn idoneam operis mercēdem daret.

statuere = pōnere (rem novam), prīmum facere

Ille, cum eōrum auxiliō fruī vellet, sē magnam aurī copiam datūrum esse prōmīsit, atque eōs hortātus est, ut opus quam celerrimē possent cōnficerent, quamquam, cum ignōrāret eōs deōs esse, dubitābat num duo hominēs tanta moenia aedificāre possent. Attamen, cum dī sōlī mānsissent, Apollō, lyrā suā canēns, effēcit ut saxa ipsa per sē movērentur ad mūrōs aedificandōs; Neptūnus vērō eadem saxa, vīcīnī maris flūctibus tergendō, quasi aurum lūcentia fēcit.

at-tamen = tamen
manēre mānsisse


lyra -ae *f* = fidēs

vīcīnus -a -um = quī prope est

Cum vērō Apollō et Neptūnus opus magnificē perfēcissent, ā Lāomedonte petīvērunt ut pecūniam, quam pollicitus erat, daret; at tyrannus ille superbus, etsī stupuit cum pulcherrima et validissima moenia tam brevī tempore aedificāta esse vīdisset, negāvit sē tantum pretium solūturum esse, eōsque indignīs verbīs reprehēnsōs dimīsit.

stupēre -uisse

tridēns -entis m (v. pāg. 83)
im-pendēre = suprā stāre

Cum tālem iniūriam passī essent, dī, īrātī, Lāomedonta sevērissimē pūnīre cōnstituērunt: Neptūnus igitur, ut poenā rēgem afficeret, cum flūctūs tridente percussisset, ex marī ferōcissimum mōnstrum, quod omnia vorābat, excitāvit; Apollō vērō, cum in collem urbī impendentem ascendisset, arcū suō aureō sagittās iaciēns, efficiēbat ut plūrimī Trōiānī aegrotārent atque horrendā morte perīrent.

vātēs -is m/f: homō quī, deōrum auxiliō, rēs futūrās dīcit antequam ipsae fīant
re-stāre = reliquus esse, superesse

Vātēs, ā rēge interrogātus quid facere posset, ut cīvēs suōs tantīs malīs liberāret, eum hortātus est ut mōnstrō illī saevissimō Hēsionam fīliam offerret. “Utinam possēs” inquit, “ō rēx, aliō modō ab urbe deōrum invidiam āvertere; tibi tamen nūlla alia restat via. Tanta enim iam incolārum caedes facta est, ut meminisse horream. Necesse igitur est tuam fīliam expōnere.”

marīnus -a -um < mare

Rēx, cum nūllō aliō modō deōrum īram minuere sē posse vidēret, quamquam māximō dolōre afficiebātur, virginem catēnīs vīnctam in maris lītore expōnī iussit ut ā mōnstrō illō marīnō vorārētur. Cīvēs maerentēs ita animō permovēbantur, ut vix lacrimās tenēre possent.

Herculēs -is m (v. pāg. 14)

Herculēs autem, quī forte prope Trōiam errābat, cum miseram puellam in ōrā vīnctam vīdisset, eī appropinquāvit, ut auxilium ferret. Lāomedōn igitur, cum Herculem cōnspexisset, hīs verbīs eum allocūtus est: “Duōs magnificōs equōs, quōs Iuppiter mihi dōnāvit, tibi dabō, sī fīliam ā tam horrendā morte servāveris”

sustinēre -tinuisse -tentum

Diū in lītore apud virginem Herculēs exspectāvit iamque dubitāre coeperat num vātēs vērum dīxisset, cum subitō, paulō ante lūcem, ē mediō marī ēmergēns, mōnstrum ingēns in puellam impetum fēcit. Herculēs tamen, cum parātus esset ad eam dēfendendam, illum impetum facilē sustinuit, ac post brevem cruentamque pugnam ferōcem illam bēstiam necāvit.


Telamō -ōnis m

Cum vērō, mōnstrō interfectō, ā Lāomedonte praemium prōmissum petīvisset, eum quoque rēx fallere conātus est, atque aliōs equōs minus pretiōsōs prō iīs, quōs prōmīserat, eī dare volēbat. Herculēs igitur, īrātus, duodēvigintī cum nāvibus mīlitum plēnīs Trōiam oppugnāvit et, Lāomedonte necātō, Hēsionam Telamōnī, amīcō suō, uxōrem dedit.

5. Adōnis

Adōnis -is *m*

Venus, amōris dea, pulcherrimum puerum mortālem amābat, cui nōmen Adōnis erat. Cum vērō iuvenis ille fortissimus per silvās et arduōs montēs errāre atque ferās, quae ibi latēbant, persequī solēret, Venus, quae timēbat nē bēstiae saevae eī aliquō modō nocērent, etiam atque etiam monēbat nē in lupōs, leōnēs, ursōs aut aprōs impetum faceret, quī omnium perīculōsissimī esse vidēbantur.


aper

ursus -ī *m* (*v. pāg.* 93)
aper aprī *m*: porcus ferus

Cum autem ōlim dea summum Olympum currū suō petīvisset atque Adōnem sōlum in silvā relīquisset, puer, quī aprī vestīgia in terrā cōnspexerat, Veneris verba oblītus, canēs suōs hortātus est, ut ferōcem illam bēstiam quam celerrimē sequerentur: erat enim cupidissimus illīus ferae capiendae. Canēs, hūc et illūc currentēs, vestigia sequēbantur ad bēstiam inveniendam; tandem aprum inventum ex dumīs, in quibus sē occultāverat, expulērunt; quī, cum ex latibulō suō excurrisset atque fugere vellet, ab Adōne, quī parātus erat ad eum trānsfigendum, hastā percussus cecidit.

Olympus -ī *m* = mōns Graeciae, ubi deī habitant
relinquere -līquisse -lictum



dūmus

dūmus -ī *m*
ex-pellere -pulisse -pulsum
latibulum -ī *n* (< latēre): locus in quō aliquis sē occultat | ex-currere -risse

Prōtinus autem saevus aper, quamquam graviter vulnerātus erat, hastam dentibus prehēnsam ex vulnere extrāxit, atque in puerum, quī locum tūtum quaerēbat, ferōcissimē impetum fēcit et tōtōs dentēs in eius crūs fīxit, ex quō ingēns sanguinis cōpia effūsa est. Adōnis, gravissimē vulnerātus, ad terram cecidit vīribus āmissīs.

prehendere -disse -ēnsum
ex-trahere

Cum Venus, quae dē altō Olympō tunc dēscendēbat, eius clāmōrēs audīvisset, ita permōta est, ut ventō celerius trāns montēs amnēsque per āera volāret, mīrābilī currū vecta, quem candidī olōrēs trahēbant; cum vērō puerum inter arborēs humī iacentem atque in suō sanguine morientem vīdisset, magnō animī dolōre affecta, prōtinus dē currū suō dēsiluit, atque multīs cum lacrimīs capillum et vestem flēns scindēbat et percutiēbat manibus pectus: ita maerēbat dea, cum puerum quem ante omnēs amābat horrendā morte pereuntem vidēret. "Ō mī amātissime Adōni," clāmā-


olor

olor -ōris *m*
Adōni *voc*



Venus, cum videat Adonem morientem, magno animi dolore afficitur

bat inter lacrimās, "utinam mē audīvissēs! Utinam bēstiās ferās cāvissēs! Sī meīs verbīs paruisses, nōn tam indignē mortuus esses in manibus meīs ex hōc gravissimō vulnere! Quid faciam nunc? Quōmodo mē consolārī possim?"

Haec verba locūta, cruōrem, quī circā fōrmōsissimum puerī corpus sparsus erat, manū tetigit: et ecce: cruor in rubrum et pulcherrimum flōrem sine morā mūtātus est, quī adhūc, ad puerī illīus memōriam servandam, campōs colōre sanguinis ōrnat.



Hyacinthus, disci ictu percussus, in manibus Apollinis ex vulnere moritur


AD CAPITVLVM XXXIV

1. Apollō et Hyacinthus

Hyacinthus -ī *m*

Cum ōlim Apollō, lūcis cantūsque deus, in terrīs fōrmōsissimum puerum cōnspexisset, quī eī pulchrior quam omnēs immortālēs vīsus erat, dē altō Olympō dēscendit ut cum eō inter hominēs versārētur. Nihil enim eī grātius iam poterat esse quam ipsum nōmen Hyacinthī: sīc enim puer vocābātur.

Tam laetus erat Apollō, ut cum Hyacinthō tōtōs diēs cōnsūmere vellet, ut cum eō per silvās et campōs errāret, aut in mollī herbā, sōle in caelō lūcente, apud pūrum rīvum in arboris umbrā quiēsceret. Saepe etiam gaudēbant lūdendō: modo enim certābant cursū, modo hastīs aut discīs iaciendīs; modo vērō in flūminum aquīs natābant. Apollō tantō amōre ergā puerum accēnsus erat, ut eum in omnibus certāminibus vincere sineret, nē trīstitiā afficerētur, sī fortē victus esset.



discus -ī *m*

Ōlim igitur, cum, positīs vestīmentīs, oleō membra aspersissent, in lātissimō campō herbīs opertō discīs iactandīs certābant; Hyacinthus, quī certandī studiōsissimus erat, prior discum in āera omnibus lacertōrum vīribus ēmīsit; quī, sē celerrimē vertēns, ūsque ad caelum ascendit, atque, cum nūbēs scīdisset, rūrsus ad terram dēscendit, ceciditque procul ā locō unde puer et deus intuēbantur. Laudat Apollō Hyacinthī vīrēs et artem: gaudet atque laetātur puerī animus amīcī deī laude.

quī: discus

Erat tunc Apollinī tempus mittendī discī per āera: quī, cum vincere nōllet, minōre vī suum discum iēcit, nē longius caderet quam discus Hyacintī; utinam tamen numquam

ē-mittere

flātus -ūs *m* < flāre

ictus -ūs < īcere

ēmīsisset! Zephyrus enim, quī iam diū, occultātus inter nūbēs, eōs lūdentēs spectābat, cum ipse quoque puerī amōre accēnsus esset, et Apollinī hāc dē causā invidēret, īrātus in discum vehementī flātū spīrāvit; quod cum fēcisset, discus, dē suō cursū flectēns, Hyacinthī caput graviter percussit. Puer, cum tam validō ictū pulsātus esset, statim ad terram cecidit atque in manibus Apollinis, quī continuō accurrerat ad auxilium ferendum, ex vulnere mortuus est.

Apollō vērō maestus multīs cum lacrimīs amicī mortem lūgēbat eiusque fōrmōsissimum corpus sine vītā complectēns, sē ipse accūsābat: "Nisi discum iēcissem, nōn mortuus esses, mī Hyacinthe, tam iuvenis, tantāque pulchritūdine ōrnātus! Quid nunc faciam? Nisi deus essem, ego quoque tēcum, amīce cārissime, dolōre morerer!"

Cum tālia dīceret, sanguis ex Hyacinthī vulnere effundī nōn dēsinēbat; quī, cum terram attigisset, in pulcherrimum mīrābilemque flōrem mūtātus est. Quem cum Apollō vīdisset, "Hic flōs" inquit "ad tuam memoriam servandam ortus, in sē inscrīptam habēbit meī dolōris vōcem!"

Haec locūtus, manū leviter flōris folia tetigit: et ecce! Statim in iīs 'AI' litterae ad Apollinis clāmōrem commemorandum appāruērunt, quae adhūc in illīus flōris foliīs scrīpta cernuntur.

com-movēre (< cum + movēre) = permovēre (animum)

Pāstor, quī in campō ovēs pascēbat, cum haec omnia vīdisset, trīstis ac maerēns hoc carmen continuō compositum animō valdē commōtō cecinit:

aurātus -a -um = aurō opertus
dīvus -ī *m* = deus | tēcta: domōs

rīdentia (: fertilia) arva
arvum -ī *n* = ager quī arātur

pel-licere -lēxisse lectum = allicere
puerī honestī

mortālem amīcum

Phoebus -ī *m* Apollō
aura -ae *f.* ventus levis

Dēscendēbat Apollō altō dē vertice Olympī
aurātāsque domōs, dīvōrum tēcta, relinquēns,
oppida clāra hominum, rīdentiaque arva petēbat
egregiā puerī fōrmā pellectus honestī,
iungī mortālem sibi nōn contemnit amīcum.
Nōmen dulce sonāns Phoebō levis aura ferēbat:
grātius illī nīl Hyacinthī nōmine vīsum est.

Cum puerō lūdēbat Apollō prātō in apertō:
corporibus nūdīs, agitantēs candida membra
splendida mittēbant trāns āera pondera discī.
Invidus adstābat vehementī flāmine anhēlāns
occiduus ventus, quī vēris signa redūcit.
Attamen, īrātus, puerum nunc laedere māvult
auricomum sibi quī dīvum praepōnit amantī.
Nūbēs ex tōtō caelō iam congerit ātrās
quās Zephyrī flātūs saepe ante fugāre solēbant.
Āmēns ōdit amatque ruitque solō impete caecō
sēcumque ipse igitur tanta impia dicta revolvit:
"Sī mē fastīdis refugisque fronte superbā
ō fōrmōse puer, nimiō splendōre corusce,
ō Hyacinthe cuī radiant ut sīdera ocellī
quīs tū mē miserē perdis, nunc accipe poenās:
umquam nēmō tē, mē nunc sī spernis, amābit.
Sīc fātus lacrimāns, īnfēstō flāmine flāvit;
Vīribus tunc magnīs scīdit deus āera discō
At discum Zephyrus dēflexit flātū odiōso
in vultūs, Hyacinthe, tuōs. Expalluit aeque
quam puer ipse deus collāpsōsque excipit artūs,
et modo tē refovet, modo trīstia vulnera siccat,
nunc animam admōtīs fugientem sustinet herbīs.
Nīl prōsunt artēs: erat immedicābile vulnus.

"Lāberis, Oebalide…
Phoebus ait "videōque tuum, mea crīmina, vulnus.
Tū dolor es facinusque meum…

prātum -ī *n* = ārea herbā operta
agitāre = citō movēre
splendidus -a -um = splendēns
pondus -eris *n* = aliquid grave; splendida pondera discī: discōs lūcentēs et gravēs
invidus -a -um quī invidet | ad-stāre
vehemēns -entis: quī vī ūtitur, violentus
flāmen -minis *n* < flāre | anhēlāre = vī flāre
occiduus -a -um < occidēns; o. ventus = Zephyrus
at-tamen = tamen
auri-comus -a -um < aurum + coma (= capillus)
quī sibi amantī praepōnit (: praefert) dīvum auricomum (: Apollinem)
nūbēs ātrās | con-gerere: in ūnum locum ferre
fugāre = in fugam vertere
ā-mēns -entis = cui mēns sāna nōn est
ruere = sē prōicere
impes -petis *m* = impetus
impius -a -um: improbus | re-volvere = iterum iterumque cogitāre
fastidīre = contemnere
re-fugere
splendor -ōris *m* = lūx clārissima
coruscus -a -um = quī subitō lūcet
radiāre = ē-mittere *radiōs*, lūcēre
radius -ī *m* (*v. pāg.* 43) | sīdus -eris = stēlla
quīs = quibus
sī mē spernis, nēmō umquam tē amābit
spernere = contemnere
fārī fātum; sīc fātus = sīc locūtus
dē-flectere = vertere
vultūs tuōs: vultum tuum | ex-palluit
aeque quam: eōdem modō atque
col-lābi (< cum + lābī) = ad terram subitō lābī
ex-cipere: excipit artūs = accipit lābentia membra | artus -ūs *m* = membrum
re-fovēre = amanter complectī
siccāre = siccum facere
admōtis herbīs ūsus herbīs
sustinet: retinet
immedicābilis -e = quī sanārī nōn potest
lāberis moreris | Oebalides -idae (*voc* -e) *m* Hyacinthus, fīlius Oebalī
videōque tuum vulnus, *quod est crīmen meum* (= culpa mea)
crīmen -inis *n* = id quod accūsātur, culpa
facinus -oris *n* = scelus

fūnus -eris *n* mors
auctor -ōris *m* = is ā quō rēs orta est, quī rem fēcit
amā*vi*sse
reddere: relinquere
lyra fīdēs (*v. pāg.* 103) | pulsa pulsāta, tacta
sonāre = sonum dare / facere; tē carmina nostra sonābunt: dē tē erunt carmina mea
et tū, quī factus es flōs novus, imitāber*is* nostrōs (: meōs) gemitūs | gemitus -ūs *m* = vōx doloris

....ego sum tibi fūneris auctor.
Quae mea culpa tamen, nisi sī lūsisse vocārī
culpa potest, nisi culpa potest et amāsse vocārī?
Atque utinam tēcumque morī vītamque licēret
reddere!
Semper eris mēcum...
Tē lyra pulsa manū, tē carmina nostra sonābunt,
flōsque novus scrīptō gemitūs imitābere nostrōs."

in humō
signāverat: colōre affecerat
sī nōn esset: praeter quam quod est
purpureus -a -um = ruber

ecce cruor, quī fūsus humō signāverat herbās,
dēsinit esse cruor...
flōs oritur fōrmamque capit, quam līlia, sī nōn
purpureus color hīs, argenteus esset in illīs.
Nōn satis hoc Phoebō est:...
ipse suōs gemitūs foliīs īnscrībit, et « AI AI »
flōs habet īnscrīptum.

Narcissus -ī *m*
Ēchō -ūs *f*
nympha -ae *f* = nymphae sunt deae minōrēs, quae silvās, montēs, flūmina incolunt
dē-lūdere -lūsisse -lūsum = fallere
ūsus -ūs *m* < ūtī

2. Narcissus et Ēchō

Fuit Ēchō iūcundissima nympha, quae tam pulchrā vōce canere fābulāsque tam bellē nārrāre solēbat, ut ipsa Iūnō, deōrum rēgīna, saepe ex altō Olympō dēscenderet, ut eam canentem loquentemve studiōsē audīret.

Cum vērō Iuppiter, quī sōlus et sine uxōre per aliquod temporis spatium manēre volēbat, hoc animadvertisset, nympham rogāvit ut Iūnōnem arcesseret eamque fābulīs nārrandīs aut carminibus canendīs longīsque sermōnibus retinēret dum ipse suīs rēbus studēret. Cum autem Iūnō sē ā nymphā dēlūsam esse sēnsisset, eam sevērē pūnīre cōnstituit:

"Huius" ait "linguae, quā sum dēlūsa, potestās
parva tibī dabitur vōcisque brevissimus ūsus!"

Rēque minās firmat: tantum haec in fīne loquendī
ingeminat vōcēs audītaque verba reportat.

minae -ārum *f pl* = dicta minantia
haec: Ēchō
ingemināre = iterum facere
ingemināre vōcēs bis eāsdem vōcēs dīcere
re-portāre

Ex eō igitur tempore misera Ēchō nōn iam ipsa quidquam dīcere, sed modo novissima aliōrum hominum verba repetere potuit.

Cum ōlim īnfēlīx nympha per silvās errāret, subitō Narcissum, fōrmōsissimum adulescentulum sēdecim annōrum, quī arcū et sagittīs armātus timidōs cervōs persequēbātur, cōnspexit; quem cum prīmum pulcherrimīs membrīs currentem cervīque vestīgia oculīs quaerentem vīdisset, statim amāvit nec iam sine eō sē vīvere posse putāvit.

adulēscentulus -ī *m* = adulēscēns (nōndum XX annōrum)
cervus -ī *m* (*v. pāg.* 30)

Cum igitur nympha ad eum accessisset sēque post arborem occultāvisset, Narcissus, quī nōn iam amīcōs, quibuscum ad vēnandum in silvam vēnerat, vidēbat, "Num quis adest?" inquit. Quibus verbīs Ēchō statim "Adest!" respondit. Narcissus stupuit; cum vērō in omnēs partēs spectāvisset, neque quemquam circā sē vīdisset,

vēnārī = ferās persequī et occidere

vōce "Venī!" magnā clāmat: vocat illa vocantem.
Respicit et rūrsus nūllō veniente "Quid" inquit
"mē fugis?"' et totidem, quot dīxit, verba recēpit.

vōce magnā
illa: Ēchō
Narcissus respicit | re-spicere ↔ prōspicere
tot-idem = īdem numerus
totidem, quot dīxit, verba: tot verba, quot dīxerat

Cum etiam atque etiam Narcissus vōcem audīvisset ad suās vōcēs respondentem, nēminem tamen vīdisset, per silvam ambulāre perrēxit; cum vērō ad apertum campum arboribus circumdatum pervēnisset, "Hūc coeāmus" dīxit magnā vōce. Respondēns Ēchō continuō "Coeāmus!" repetīvit,

co-īre

ēgressaque silvā
ībat, ut iniceret spērātō bracchia collō;
ille fugit fugiēnsque "Manūs complexibus aufer!
Ante" ait "ēmoriar, quam sit tibi cōpia nostrī";
rettulit illa nihil nisi "sit tibi cōpia nostrī!"

ēgredī ēgressum
in-icere
spērātō collō
complexus -ūs *m* < complectī; "Manūs ā complexibus aufer" manus abstine ā mē
tibi sit cōpia nostrī = mē in potestāte tuā habeās
nōs, *gen* nostrī

dē-pōnere = dimittere
repulsa -ae *f* < re-pellere
ex-tenuāre = tenuem facere
paulātim *adv* = paulum ac paulum (↔ subitō)
lapis -idis *m* (*v. pāg.* 67)

Nympha misera, cum tam turpiter sē contemptam esse sēnsisset, iterum in silvās fūgit ibique latuit, pudōre affecta, vīvēns obscūrīs in antrīs; nec tamen poterat ex animō dēpōnere amōrem, quī, immō, ob dolōrem repulsae etiam atque etiam crēscēbat; cūrīs cōnfectum corpus extenuātur, et membra in diēs graciliōra fīunt; paulātim nihil restat, nisi vōx et ossa; vōx tandem manet sōla, ossa in lapidem conversa sunt. Vōx igitur sine corpore

inde = ex eō tempore
latet *in* silvīs
ab omnibus

inde latet silvīs nūllōque in monte vidētur,
omnibus audītur: sonus est, quī vīvit in illā.

dē-spicere -spexisse -spectum

Intereā pulcherrimus ille puer tantum errandō in silvīs ferīsque persequendīs gaudēbat, neque quemquam sē amāre sinēbat, sed omnēs, eōdem modō quō Ēchō dēspecta erat, contemnēbat:

cup*īvēre* = cupīvērunt
in tenerā formā | superbia -ae *f* < superbus
tetigēre = tetigērunt

multī illum iuvenēs, multae cupiēre puellae;
sed fuit in tenerā tam dūra superbia fōrmā,
nūllī illum iuvenēs, nūllae tetigēre puellae.

Ōlim pervēnit Narcissus ad amoenissimum locum, ubi altissimae arborēs umbram in rīvum faciēbant pūrissimae aquae:

fōns fontis *m* = aqua ē terrā ērumpēns (*v. pāg.* 44) | il-līmis -e = pūrus
nitidus -a -um = pūrissimus ac pulchrē lūcēns
pāscere pāvisse pāstum | capella -ae *f* = parva *capra* | capra -ae *f* (*v. pāg.* 54)
contingere -tigisse (< cum + tangere) = tangere
volucris -is *f* = avis
turbā*ve*rat

fōns erat illīmis, nitidīs argenteus undīs,
quem neque pāstōrēs neque pāstae monte capellae
contigerant aliudve pecus, quem nūlla volucris
nec fera turbārat nec lāpsus ab arbore rāmus;

sēdāre = tranquillum facere (↔ turbāre);

circā fontem erat mollis herba, in quā puer cum fessus esset currendō per silvam, recubuit; deinde, cum sitim paterētur, vultum ad aquam admōvit; cum vērō suam imāginem in aquā vīdisset, crēdidit ibi fōrmōsissimum latēre puerum; cuius amōre statim accēnsus est,

dumque sitim sēdāre cupit, sitis altera crēvit,
dumque bibit, vīsae correptus imāgine fōrmae
spem sine corpore amat: corpus putat esse, quod umbra est.

(sitim) s. = minuere
cor-ripere (< rapere)
vīsae fōrmae

Bacchus



Stupuit Narcissus cum, humī iacēns, spectāvisset illōs oculōs, quae quasi lūcentia sīdera, ex aquā eum intuērī vidēbantur, et capillōs dignōs Bacchō, dignōs Apolline, pulcherrimāsque genās et candidum collum decusque

stupēre -uisse
sīdus -eris *n* = stella
Bacchus -ī *m*
decus -oris *n* = pulchritūdō

ōris et in niveō mixtum candōre rubōrem,
cūnctaque mīrātur, quibus est mīrābilis ipse:
sē cupit (imprūdēns!) et, quī probat, ipse probātur,
dumque petit, petitur, pariterque accendit et ārdet.

niveus -a -um (< nix) = candidus (ut nix)
candor -ōris *m* = color candidus
rubor -ōris *m* = color ruber
im-prūdēns -entis ↔ prūdēns
probāre = probum (: pulchrum) esse putāre
ārdēre = igne (: amōre) cōnsūmī

Ō, quotiēs dedit ōscula fontī! Quotiēs conātus est frūstrā imāginem, quam in aquā vidēbat, complectī!

Bracchia mersit aquīs nec sē dēprēndit in illīs!
Quid videat, nescit; sed quod videt, ūritur illō;

aquīs in aquās
dē-pre*he*ndit
ūritur illō quod videt

Miser Narcisse, nōnne intellegis nūllō in locō, nisi in tē ipsō, esse quod petis?

Ista repercussae, quam cernis, imāginis umbra est:
nīl habet ista suī; tēcum vēnitque manetque;
tēcum discēdet, sī tu discēdere possīs!

re-percutere
umbra repercussae imāginis
sē, *gen* suī

Tantus fit amor, quō ūritur, ut neque dē cibō neque dē somnō capiendō iam cūret: nam ex eō locō āvertī nōn iam vult, neque aliud cupit nisi omnī tempore fōrmōsissimam illam imāginem spectāre; Sīc vērō inter lacrimās ait:

“Et placet et videō; sed quod videōque placetque,
nōn tamen inveniō” (tantus tenet error amantem!)

quōque: et ut



Narcissus amore capitur suae imaginis in fonte repercussae

"Quōque magis doleam, nec nōs mare sēparat ingēns
nec via nec montēs nec clausīs moenia portīs;
exiguā prohibēmur aquā! Cupit ipse tenērī:
nam quotiēs liquidīs porrēximus ōscula lymphīs,
hic totiēs ad mē resupīnō nītitur ōre.
Posse putēs tangī: minimum est, quod amantibus obstat!
Quisquis es, hūc exī! Quid mē, puer ūnice, fallis
quōve, petītus, abīs? Certē nec fōrma nec aetās
est mea, quam fugiās, et amārunt mē quoque nymphae!
Spem mihi (nescio quam) vultū prōmittis amīcō,
cumque ego porrēxī tibi bracchia, porrigis ultrō,
cum rīsī, arrīdēs; lacrimās quoque saepe notāvī
mē lacrimante tuās!"

sē-parāre ↔ coniungere
ipse: quī in aquā cernitur
quotiēs... totiēs | liquidīs lymphīs
liquidus -a -um = fluēns (ut aqua), pūrus
lympha -ae *f* = aqua | nītī: accēdere cōnārī
resupīnus -a -um = in tergō iacēns
ad mē resupīnō ōre nītitur: ōre ad mē nītitur quasi in tergō iacēret | putēs posse tangī aliquis putāre possit tē tangī posse (: vidēris ferē tangī posse) | ob-stāre = viam claudere
quid: cūr | ūnicus -a -um = ūnus et sōlus (: cārissimus)
quamquam petītus
amā*vē*runt
porrigere porrēxisse = extendere
ultrō = volēns, per tē
ar-rīdēre < ad + rīdēre
notāre = animadvertere
lacrimās tuās

Post multōs diēs multāsque noctēs tandem Narcissus intellēxit eam, quam in aquā vidēbat, nihil aliud esse nisi suī ipsīus imāginem:

"Iste ego sum: sēnsī, nec mē mea fallit imāgō;
ūror amōre meī: flammās moveōque ferōque.
quid faciam? roger anne rogem? quid deinde rogābō?
quod cupiō mēcum est...
Ō utinam ā nōstrō sēcēdere corpore possem!
vōtum in amante novum: vellem, quod amāmus, abesset!"

sentīre sēnsisse sēnsum
nom ego, *gen* meī
ferō patior
ā nostrō (: meō) corpore sēcēdere
sē-cēdere = discēdere
vōtum -ī *n* = voluntās
vōtum in amante novum nūllus umquam amāns id voluit quod ego

Cum tālia verba dīceret, puer miserē flēbat, et lacrimīs turbāvit aquās; tum in lacū nihil aliud cōnspexit nisi obscūram quandam fōrmam abeuntem;

quam cum vīdisset abīre,
"Quō refugis? Remanē, nec mē, crūdēlis, amantem

nec dēsere = atque nōlī dēserere
tangere nōn est (: nōn licet)

dēsere!" clāmāvit; "Liceat, quod tangere nōn est,
aspicere!"

Haec locūtus, dolēns vestem scīdit, et nūdum pectus candidīs manibus percussit; deinde vīrēs magis magisque āmīsit;

corpus, quod quondam
quondam *adv* = olim


nec corpus remanet, quondam quod amāverat Ēchō.

Amōre cōnsūmptus,

viridis -e = herbae colōre
sub-mittere -mīsisse -missum ↔ tollere
lūmen -inis *n* = lūx; lūmina = oculī
in īnfernā sēde receptus
Stygia aqua = fluvius *Styx*
Styx -gis *f* = fluvius apud Īnferōs

ille caput viridī fessum submīsit in herbā,
lūmina mors clausit dominī mīrantia fōrmam:
tum quoque sē, postquam est īnfernā sēde receptus,
in Stygiā spectābat aquā.

lūgēre lūxisse
ad-sonāre -uisse (+ *dat*)
= sonum dare (ūna cum)


rogus -ī *m*

Lūxērunt omnēs nymphae; lūgentibus adsonuit Ēchō; sed cum iam rogum parāvissent, in quō corpus pōnerent,

nusquam *adv* = nūllō in locō
croceus -a -um = aureō colōre
foliīs medium cingentibus albīs cuius pars media albīs foliīs cingitur

nusquam corpus erat; croceum prō corpore flōrem
inveniunt foliīs medium cingentibus albīs.

Pōmōna -ae *f*
Vertumnus -ī *m*

3. Pomōna et Vertumnus

nympha -ae *f*: nymphae sunt deae minōrēs quae silvās, montēs, flūmina incolunt

Fuit Pōmōna nympha Latīna, quae studiōsissima erat colendī hortōs:

fēlīx -īcis = fertilis; (pōma) fēlīcia = multa et pulchra | pōmum -ī *n* = pōma sunt māla, pira, ūvae, cēt.

nōn silvās illa nec amnēs,
rūs amat et rāmōs fēlīcia pōma ferentēs,

ex quibus ipsa nōmen habuerat; manū numquam hastam tenēbat, nequa alia eī arma grāta erant, praeter falcem quā rāmōs nimis longōs secābat, aut nimis magnam foliōrum cōpiam minuēbat. Nec umquam arborēs sitim patī sinēbat, sed saepe terram aquā flūminum rigābat, nē sicca fieret:

hic amor, hoc studium, Veneris quoque nūlla cupīdō est;

Veneris amōris
cupīdō -inis *f* = cupiditās


Nam, quamquam multī et mortālēs et immortālēs eam amābant, omnēs virōs omnēsque deōs fugere solēbat, sōlīs suīs frūgibus pōmīsque contenta. Neque igitur Satyrī, neque Pān et Silvānus, silvārum dī, ad eam accēdere potuerant, etsī nōn parvō amōre accēnsī erant; sed

contentus -a -um + *abl* = quī suā rē dēlectātur, quī satis habet
Satyrus -ī *m* = comes Bacchī


superābat amandō

hōs quoque Vertumnus neque erat fēlīcior illīs.


superāre = vincere, melior esse quam
hōs Satyrōs, Pānem, Silvānum



harundō


Pān Pānis *m*


Silvānus -ī *m*



Satyrus -ī *m*


corbis -is *f*


fēnum

Quī Vertumnus, ut Pōmōnae hortīs appropinquāret, saepe agricolae vestīmenta induēbat, et in umerīs corbēs frūmentī plēnās ferēbat, vel, miscēns fēnum capillīs, faciēbat ut rūsticō similis esse vidērētur; saepe ita virgam manū portābat, ut crēderēs eum modo ex arātrō bovēs solvisse; falcem gerēns, vītēs nūper putāvisse vidēbātur; cum vērō scalās umerīs portāret, efficere volēbat, ut nympha sē ad pōma carpenda īre arbitrārētur. Interdum, armātus gladiō, mīlitis fōrmam sūmēbat; nōnnumquam, harundine sūmptā, piscātōrī similem sē ipse faciēbat; modo hāc, modo illā veste induēbātur, ut ferē occultus ac latēns prope Pōmōnae hortōs ad eam spectandam venīret.

faenum -ī *n* = herba secta et sicca
virō rūsticō: agricolae


scālae -ārum *f pl*

putāre = secāre rāmōs nimis longōs
harundō -inis *f* calamus quō piscēs capiuntur
occultus -a -um = quī occultātur, latēns

Cum autem intellēxisset nūllum virum in Pōmōnae hortōs admittī, mitrā in capite positā, membra sustinēns baculō et albōs capillōs sibi addēns simulāvit sē esse anum


mitra -ae *f*

simulāre = similem facere; simulat sē esse = agit velut sī esset

...cultōsque intrāvit in hortōs

pōmaque mīrāta est.

cultus -a -um *part* < colere

Quae cum admīrāta esset, nymphae artem valdē laudāvit,


laudātae *puellae*


paucaque laudātae dedit ōscula, quālia numquam
vēra dedisset anus,

pōmīs (: propter pōma) gravēs

ulmus -ī *f*

pendēre: ūvae ex ulmō pendent





et cōnsēdit humī suspiciēns arborum rāmōs autumnī pōmīs gravēs. Habēbat ante oculōs ulmum pulcherrimam, ex quā pendēbant mīrābilēs ūvae; quās cum multīs verbīs laudāvisset, " At sī arbor " inquit " stāret sine vīte, nūlla esset causa cūr hominēs eam peterent, praeter umbram, quam facit; haec quoque vītis, quae cum ulmō iūncta est, in arbore quiēscit; sī enim nōn nūpta esset, humī iacēret;

nōn tangeris   nōn movēris

concubitus -ūs *m* (< cum + cubāre)

tū tamen exemplō nōn tangeris arboris huius
concubitūsque fugis nec tē coniungere cūrās:
atque utinam vellēs!...

āversāre = saepe āvertere

sēmideus -ī *m* = ex dīmidiā parte deus

quaecumque nūmina = omnia nūmina quae | nūmen -inis *n* = deus

quae   nam ego



taeda

vulgāris -e = commūnis
taeda -ae *f*: cum vir et fēmina coniugēs fīunt, *taedae* ante eōs feruntur | rē-icere (< -iacere)
torus -ī *m* = lectus | socius -ī *m* = quī commūnī fortūnā/negōtiō coniungitur cum aliquō
sē-ligere = ēligere


Nunc quoque, cum fugiās āversērisque petentēs,
mīlle virī cupiunt et sēmideīque deīque
et quaecumque tenent Albānōs nūmina montēs.
sed tū sī sapiēs, sī tē bene iungere anumque
hanc audīre volēs (quae tē plūs omnibus illīs,
plūs, quam crēdis, amō): vulgārēs rēice taedās
Vertumnumque torī socium tibi sēlige!...

ā latere tuō discēdet   tē dēseret

spernere sprēvisse sprētum   dēspicere, contemnere
Anaxarētē -ēs (*acc* -ēn) *f Gr*
Iphis -idis (*acc Gr* Iphin) *m*

Semper enim tē amābit neque umquam ā latere tuō discēdet; haec loca sōla incolit, nec errat per tōtum terrārum orbem: sīcut tū ipsa, ille quoque hortōs dīligit quōs magnā cum cūrā colit. Praetereā iuvenis est, et pulchrā faciē; et est parātus ad facienda omnia quae iusseris. Nē eum sprēveris! Nōnne scīs quid ōlim Anaxaretī factum sit, quae Iphidis amōrem dēspexerat?"

At Pōmōna, quae fābulam ignōrābat, ab anū quaerit 'quid illī fēminae acciderit?' Cui anus: " Cum Iphis, quī pauper fuit



Vertumnus, simulans se esse anum, in Pomonae hortos ingressus, cum ea colloquitur

cum quō *amōre*
exstinguere ↔ accendere
dūrus = sevērus
sertum -ī *n* = flōrum catēna (*v. pāg.* 92)

adulēscēns, Anaxaretēn, nōbilissimam virginem, vīdisset, continuō mīrō amōre accēnsus est; cum quō diū pugnāre conātus est, sed frūstrā: nam ignis, quō cōnsūmēbātur, tam valdē eius animum ūrēbat, ut exstinguī nōn posset. Cum ergō vincere nōn potuisset, et ad līmen domūs vēnisset, in quā virgō habitābat, suum amōrem eius nūtrīcī cōnfessus, eam ōrāvit ut Anaxaretī persuādēret nē nimis dūra esset, et ut sibi parceret; deinde saepe sua verba in tabellīs īnscrīpta servīs dedit, ut virginī trāderent legenda; interdum pulchra flōrum serta suīs lacrimīs rigāta in foribus fīxit, et ipse tōtōs diēs tōtāsque noctēs iacēns in dūrō illīus domūs līmine cōnsūmpsit, exspectāns dum admitterētur: illa tamen fuit dūrior ferrō aut saxō:

ir-rīdēre = dērīdēre
im-mītis -e = ferōx
fraudāre = fallere; spē fraudāre aliquem = spem ēripere alicui
tormentum -ī *n* = crūciātus (< crūciāre)
taedium -iī *m* = trīstitia animī quae ex rē molestā oritur; taedi*um* meī = ego molestus
ferenda   patienda
nom ego, *gen* meī
libēns -entis = libenter | ferrea   fēmina, cuius animus est dūrus ut ferrum

spernit et irrīdet, factīsque immītibus addit
verba superba ferōx et spē quoque fraudat amantem.
Nōn tulit, impatiēns longī tormenta dolōris,
Iphis et ante forēs haec verba novissima dīxit:
"Vincis, Anaxaretē, neque erunt tibi taedia tandem
ūlla ferenda meī...
Vincis enim, moriorque libēns: age, ferrea, gaudē!"

Praetereā haec addidit: "Nec quisquam tibi mortem meam nūntiābit:


ut corpore exanimī
exanimis -e = sine animō, mortuus
lūmen -inis *n* = lūx; lūmina = oculī
mortālia facta   facta hominum
ultrā *adv.* nihil ultrā = nihil aliud
sustinet   potest
aevum -ī *n*   aetās; longō in aevō   per longum tempus | ut in longō aevō nārrēmur   ut diū dē nōbīs hominēs nārrent

ipse ego, nē dubitēs, aderō praesēnsque vidēbor,
corpore ut exanimī crūdēlia lūmina pāscās.
Sī tamen, ō superī, mortālia facta vidētis,
este meī memorēs (nihil ultrā lingua precārī
sustinet) et longō facite ut nārrēmur in aevō!"

Haec locūtus ad iānuam, quam tam saepe flōribus ōrnāverat, īvit; cum vērō oculōs lacrimīs plēnōs et pallida

bracchia sustulisset, laqueumque trabī, quae in summā forium parte erat, vīnxisset,

laqueus -ī m (*v. pāg.* 84)




“Haec tibi serta placent, crūdēlis et impia!” dīxit
īnseruitque caput, sed tum quoque versus ad illam!

īn-serere -uisse -tum = pōnere in; inseruit *in laqueum* | vertere -tisse -sum

Tum sine mōrā sē suspendit; pedēs autem trementēs iānuam percussērunt; quī intus erant crēdidērunt aliquem forēs pulsāre ut aperīrentur: cum autem servī iānuam aperuissent, et iuvenem laqueō suspēnsum cōnspexissent, magnā vōce clāmāvērunt; deinde corpus sine vītā ad mātrem (nam pater iam mortuus erat) rettulērunt:

sus-pendere -pendisse -pēnsum = pendentem facere



re-ferre rettulisse re-lātum

accipit illa sinū, complexaque frīgida nātī
membra suī, postquam miserōrum verba parentum
ēdidit et mātrum miserārum facta perēgit,
fūnera dūcēbat mediam lacrimōsa per urbem.

com-plectī -xum esse
nātus -ī *m* = fīlius | nātī suī
ē-dere -didisse -ditum (< ē + dare); verba ēdere dīcere | per-agere -ēgisse -āctum = ad fīnem agere, fīnīre
fūnus -eris *n*:f. facere = ossa sepelīre
fūn*us* dūcēbat
lacrimōsus -a -um (< lacrima) = trīstis
per mediam urbem

Forte domus Anaxaretēs sita erat in viā, quā pompa lūgentium prōgrediēbātur; audītō igitur clāmōre, illa virgō crūdēlis, “Videāmus” inquit “haec fūnera” Cum vērō in tēctum ascendisset et inde ex fenestrīs Iphin in lectō fūneris positum prōspexisset,

pompa -ae *f*= agmen hominum prōcēdentium

dēriguēre oculī, calidusque ē corpore sanguis,
inductō pallōre, fugit, cōnātaque retrō
ferre pedēs, haesit; cōnāta āvertere vultūs
hoc quoque nōn potuit, paulātimque occupat artūs,
quod fuit in dūrō iam prīdem pectore, saxum.

dē-rigēre -uisse = flectī dēsinere
in-dūcere -dūxisse -ductum
pallor -ōris *m* < pallēre
retrō = eō unde vēnerat (←)
haerēre -sisse -sum = fīxus esse, movērī nōn posse | vult*um*
paulātim = paulum ac paulum (↔ subitō)
artus -ūs *m* = membrum
occupat artus saxum, quod fuit iam prīdem in dūrō pectore (: mūtātur in saxum)

“ Nē crēdideris” ait anus “tālia falsa esse: nam vērissima sunt! Cuius exemplī reminīscēns, superbiam tuam dēpōne, ō virgō, et coniunge tē amantī!”

dē-pōnere -posuisse -positum ↔ induere; superbiam dēpōne dēsine esse superba

Cum haec dīxisset, Vertumnus, anīlī fōrmā vestīmentīsque dēpositīs, in iuvenem rediit, et tālis appāruit nymphae; quae,

anīlis -e < anus
in iuvenem : in fōrmam iuvenis

sentīre sēnsisse sēnsum

cum eius pulchritūdinem cōnspexisset, ipsa quoque statim amōre capta est et in animō vulnera sēnsit. Vertumnus igitur, cum hōc modō Pōmōnam vincere potuisset, eandem uxōrem dūxit.

Phaetōn -ontis *m*

4. Phaetōn

rēgia -ae *f* = domus rēgis
eburneus < ebur -oris *n* = māteria candida et pretiōsa

metallum -ī *n*: metalla sunt ferrum, argentum, aurum, cēt.

caelāre imāginēs scalpellō facere in aurō/argentō/marmore

Rēgia Phoebī, Sōlis deī, cuius tēctum eburneum altissimīs columnīs sustinēbātur, lūcēbat tōta, cum ex pūrissimō aurō aliīsque metallīs ignem imitantibus facta esset; forēs atque fenestrae argenteae clārissimē splendēbant; at opus, quod Vulcānus arte suā in iānuīs cōnfēcerat, māteriam pretiōsam superābat: nam illīc caelāverat maria, quae cingunt terrās,

im-minēre < in + minēre: (orbī) i.et = est suprā (orbem) | imminet orbī *terrārum*

terrārumque orbem caelumque, quod imminet orbī.

marīnus -a -um < mare
Nāias -adis *f.* Nāiadēs sunt nymphae aquārum

In illō mīrābilī opere deī marīnī cernēbantur et Nāiadēs,

nāre = natāre
mōlēs -is *f* = saxum in marī
viridis -e = herbae colōre
siccāre = siccum facere
ūna eadem
dīversus -a -um = varius (↔ īdem)
nūmen -inis *n* = deus
haec super super haec
fulgēre = (subitō) lūcēre

...quārum pars nāre vidētur,
pars in mōle sedēns viridēs siccāre capillōs,
pisce vehī quaedam: faciēs nōn omnibus ūna,
nōn dīversa tamen, quālem decet esse sorōrum.
Terra virōs urbēsque gerit silvāsque ferāsque
flūminaque et nymphās et cētera nūmina rūris;
haec super imposita est caelī fulgentis imāgō.

purpureus -a -um < *purpura*
purpura -ae *f* = color ruber pretiōsus
solium -ī *n* = magna sella rēgis


sustinēre patī

Hūc cum vēnisset Phaetōn, Sōlis fīlius, patris domum intrāvit ac gradūs ad parentem versus fēcit, quī, indūtus purpureā veste, sedēbat in soliō clārīs gemmīs lūcente; Phaetōn procul cōnstitit ; nam magnam lūcem propius oculīs sustinēre nōn poterat. Ad dextram et ad sinistram Sōlis aderant Diēs et Mensēs et Annī et Saecula et Hōrae;



flōrēns -entis (< flōs) = flōribus ōrnātus | corōna -ae *f* (*v. pāg.* 24)
spīceus -a -um < *spīca* spīca -ae *f*
sertum -ī *n* = flōrum catēna (*v. pāg.* 92)

Vērque novum stābat cīnctum flōrente corōnā,
stābat nūda Aestās et spīcea serta gerēbat,



Phaeton Solis, patris sui, domum ingressus, rogat ut sibi currus regendus tradatur

calcāre = pede premere
glaciālis -e < glaciēs | cānus -a -um = albus
hirsūtus -a -um = quī multōs capillōs habet
hirsūta cānīs capill*īs*

stābat et Autumnus calcātīs sordidus ūvīs
et glaciālis Hiems cānōs hirsūta capillōs

In mediō omnium sedēns,

Sōl oculīs iuvenem, quibus aspicit omnia, vīdit

Phoebus -ī *m* = Sōl

atque "Quae est causa" ait "cūr hūc vēneris? Cūr ūsque ad meam rēgiam iter fēcistī, fīlī mī?" Ille vērō respondit "Ō Phoebe pater, quī es lūx tōtīus mundī: quīdam, quī fortasse invident mihi, negāvērunt mē fīlium tuum esse: nunc igitur tē ōrō et rogō ut mihi hoc dubium tollās, et aliquō modō certō dēmōnstrēs ā mē vērē et iūre 'patrem' tē nōminārī posse!"

radius -ī *m* = lūcis līnea (*v. pāg.* 43)
com-plectī -xum esse

Phoebus dēposuit omnēs radiōs, quī circā caput lūcēbant, ut Phaetonta propius accēdere sineret; cumque eum sibi appropinquāre iussisset, complexus, "Numquam" inquit "negābō tē vērē fīlium meum esse; nē autem iam dē hāc rē dūbitēs, pete mūnus quod vīs, et mē illud tibi datūrum esse prōmittō!"

ortus -ūs *m* (< orīrī)
occāsus -ūs *m* (< occidere) ↔ ortus
paenitēre -uisse mē paenitet ita fēcisse = doleō quod ita fēcī

Vix loquī dēsierat, cum puer rogāvit ut currus, quō cotīdiē Sōl tōtum caelum ab ortū ūsque ad occāsum percurrere solēbat, sibi per ūnum diem regendus trāderētur. Patrem prōmīsisse paenituit; quī, ter quaterque quatiēns caput, exclāmāvit:

prōmissa dare = facere quod prōmissum est
nātus -ī *m* = fīlius
mūnera quae
puerīlis -e < puer
sors -rtis *f* = fātum

"...utinam prōmissa licēret
nōn dare! Cōnfiteor, sōlum hoc tibi, nāte, negārem!
Dissuādēre licet: nōn est tua tūta voluntās!
magna petis, Phaethōn, et quae nec vīribus istīs
mūnera conveniant nec tam puerīlibus annīs:
sors tua mortālis; nōn est mortāle, quod optās!"

Cum autem vīdisset fīlium ā temerāriō cōnsiliō nōn facile āvertī posse, haec addidit: "Nē immortālēs quidem, mihi crēde, illum currum regere possunt, praeter mē: Iuppiter ipse,

quī terribilī suā dextrā fulgura in terrās iacit, hunc currum agere nōn audet:

(currum) agere = regere

...et quid Iove māius habēmus?

Nam prīma pars viae, quam equī māne percurrunt, est ardua et difficilis; altera vērō

altera *pars* vērō est altissima *in* mediō caelō

mediō est altissima caelō,
unde mare et terrās ipsī mihi saepe vidēre
fit timor;

ultima tandem viae pars, cum deorsum versa sit, perīculōsissima est atque ad eam tūtō percurrendam aurīgā opus est, quī bene equōs regere sciat! Tū fortasse, fīlī mī, crēdis in caelō esse amoenissimōs hortōs et urbēs deōrum pulcherrimās atque templa pretiōsissimīs dōnīs plēna, neque ita est, ut arbitrāris: immō,


vertere -tisse -sum

...per īnsidiās iter est fōrmāsque ferārum!

īnsidiae -ārum *f* = loca perīculōsa et fallācia

Nisi cāveris, Taurus īrātus cornibus tē petet; via est perīculōrum plēna hinc enim habēbis Sagittārium, quī arcū suō ēmittit sagittās, illinc saevī Leōnis ōs, apertum et ad tē mordendum parātum; bracchia sua ad tē apprehendendum Scorpiō ad dextram et Cancer ad sinistram extendent; neque facile erit tunc equōs timentēs metūque affectōs regere vix mihi pārent, vix mē patiuntur!


Sagittārius -iī *m*


Taurus -ī *m*

ē-mittere


Leō -ōnis *m*


Scorpiō -ōnis *m*


Cancer -ī *m*

Nāte, cavē, dum rēsque sinit tua corrige vōta!

dum rēsque = et dum rēs | vōt*um*
vōtum -ī *n* = voluntās

Vīs certō scīre utrum sim tibi pater an nōn: num dubitās, cum videās mē tam valdē timēre ? Aspice vultum meum:

...utinamque oculōs in pectora possēs
īnserere et patriās intus dēprēndere cūrās!

in pectora   in pect*us meum*
(oculōs) īnserere in aliquid = intuērī aliquid
patrius -a -um < pater
dē-prehendere/-prēndere   vidēre, cernere
cūra -ae *f* = metus nē quid malī accidat

dīves mundus
circum-spicere = circum sē aspicere
ē tot ac tantīs bonīs caelī terraeque marisque posce aliquid
patiēr*is* | repulsa -ae *f* < repellere; repulsam patī = repellī


dēnique quidquid habet dīves, circumspice, mundus
ēque tot ac tantīs caelī terraeque marisque
posce bonīs aliquid; nūllam patiēre repulsam!

Hoc ūnum precor nē velīs,

...quod vērō nōmine poena,


honor -ōris *m* = signum laudis, glōria

nōn honor est: poenam, Phaetōn, prō mūnere poscis!



axis -is *m*
tēmō -ōnis *m* | rota -ae *f* | radius -ī *m*

re-percutere



Cum tālia dīxisset, Phoebus loquī atque monēre dēsiit; at Phaetōn tam multum currum illum regere cupiēbat, ut omnia alia patris mūnera contemneret. Ergō pater, cum fīliō dissuādēre nōn potuisset, eum ad currum dūxit, quem ōlim Vulcānus suā arte mīrābilī cōnfēcerat. Axis erat aureus, aureus erat tēmō, aureae rotae, at argenteī radiī: quae metalla ūnā cum gemmīs, quibus tōtus currus ōrnābātur, Sōlis lūmen repercussum in omnēs caelī partēs spargēbant.

Cum Phaetōn haec omnia stupēns admīrārētur opusque dīligenter aspiceret, subitō aperuit

purpureās Aurōra forēs et plēna rosārum
ātria: diffugiunt stēllae;

dif-fugere = in contrāriās partēs fugere

quās cum = et cum eās
rubēscere = rubēre incipere, rubēns fierī
iungere + *dat* = iungere cum + *abl*

quās cum nōn iam appārēre, atque mundum rubēscere vīdissent, properāvērunt Hōrae equōs addūcere, quōs continuō curruī iūnxērunt; tum pater, animō turbātō, fīlium suum salūtāns dīxit:

saltem = tantum (sī alterum nōn datur)
stimulus -ī *m*
lōra -ōrum *n pl*
equī properant
labor -ōris *m* = rēs difficilis et molesta
inhibēre = retinēre | volentēs *currere*


"Sī potes hīs saltem monitīs parēre parentis,
parce, puer, stimulīs et fortius ūtere lōrīs!
Sponte suā properant: labor est inhibēre volentēs.

Viam mediam tenē: iter fac in mediō āere inter caelum et terram;

altius ēgressus caelestia tēcta cremābis,
īnferius terrās; mediō tūtissimus ībis.”
Occupat ille levem iuvenālī corpore currum
statque super, manibusque levēs contingere habēnās
gaudet et invītō grātēs agit inde parentī.

caelestis -e < caelum
caelestia tēcta domōs deōrum
cremāre = ūrere
in mediō *caelō* tūtissimus ībis
occupāre; o.at currum = locum capit in currū
iuvenālis -e < iuvenis
con-tingere (< cum + tangere) = tangere
habēnae -ārum *f* (*v. pāg.* 49)
invītus -a -um = nōlēns (↔ libēns)
grātēs *f pl* = grātiās | inde ex currū

Vix habēnās tetigerat puer, cum Sōlis equī, excurrentēs, Aurōrae portā ērūpērunt, pedibusque per āera mōtīs, nūbēs scindēbant sūrsum ēvolantēs;



sed leve pondus erat nec quod cognōscere possent
Sōlis equī, solitāque iugum gravitāte carēbat.

pondus -eris *n* = aliquid grave; leve pondus *Phaetontis* erat = Phaeton levis erat
solitus -a -um = quī solet esse/fierī
iugum -ī *n* (: currus)
gravitās -ātis *f* (< gravis) = pondus

Currum igitur, tamquam sī ā nūllō aurīgā regerētur, modo in altum, modo ad terrās trahēbant; Phaetōn, perterritus,

nec scit quā sit iter, nec, sī sciat, imperet illīs;

quā *viā* sit iter (: eundum sit)

ūsque ad septentriōnēs pervenit, igneque eam caelī partem ūrit;

Ut vērō summō dēspexit ab aethere terrās
īnfēlīx Phaethōn penitus penitusque iacentēs,
palluit et subitō genua intremuēre timōre
suntque oculīs tenebrae per tantum lūmen obortae,
et iam māllet equōs numquam tetigisse paternōs!
Quid faciat? multum caelī post terga relictum,
ante oculōs plūs est;

ab summō aethere terrās dēspexit
penitus *adv* : procul
pallēscere -luisse = pallēre incipere, pallidus fierī | in-tremere -uisse | -ēre = -ērunt
lūmen -inis *n* = lūx
ob-orīrī -ortum esse = repente orīrī
tenebrae per tantum lūmen (: etsī tantum erat lūmen) obortae sunt
paternus -a -um < pater
re-linquere -līquisse -lictum

modo prōspicit, modo respicit,

re-spicere ↔ prōspicere

quidque agat ignārus stupet et nec frēna remittit
nec retinēre valet nec nōmina nōvit equōrum.

frēnum -ī *n* (*v. pāg.* 100)
re-mittere
nec frēna remittit *quō tardius equī currant*
valēre + *inf* = posse

dē-lābī -lāpsum esse
sine lēge sine dūce quī certā ratiōne eōs regat

Ex manibus puerī, quī ingentī metū afficiēbātur, habēnae dēlāpsae sunt: cum autem equī in tergō sēnsissent habēnās relictās esse, per āera sine lēge errant et ignōtās regiōnēs percurrunt; cum ad montēs campōsque accēdunt, terra, exhaustā aquā, sicca subitō fit, et ūritur igne; ūruntur et arborēs in agrīs;

incendia tōtās gentēs cum suīs populīs in cinerem vertunt
incendium -ī *n* = ignis quō domus cōnsūmitur
vertere in + *acc* = mūtāre in + *acc*
cinis -eris *m* = quod igne relinquitur, ossa usta
ārdēre = igne cōnsūmī

...magnae pereunt cum moenibus urbēs,
cumque suīs tōtās populīs incendia gentēs
in cinerem vertunt; silvae cum montibus ārdent;

siccī fiunt fontēs, glaciēs nivēsque molliuntur; omnia ignis cōnsūmit.

cūnctīs ē partibus tōtum orbem *terrārum* aspicit
sustinet patitur | aestus -ūs *m* = calor

Tum vērō Phaethōn cūnctīs ē partibus orbem
aspicit accēnsum nec tantōs sustinet aestūs:

tegere = operīre
comb-ūrere = ūrere (multum)

cum ubīque fūmus currum tegeret, puer nesciēbat ubi esset aut quō īret; intereā gentēs tōtīus orbis terrae igne combustae moriēbantur; avēs dē caelō in terram cadēbant; amnēs, quī anteā per vallēs fluēbant, siccābantur; delphīnī et piscēs ōceanī fundum petēbant, ut ignēs vītārent at ipsa maria in siccōs campōs vertēbantur.

dē-mittere = deorsum mittere
fulmen -inis *n* = fulgur
Ēridanus -ī *m* = fluvius Padus
rādix -icis *f* (*v. pāg.* 82)
re-stāre = reliquus esse, superesse

Tandem Iuppiter cum aquā exstinguere ignem vellet, neque nūbēs habuit neque imbrēs quōs dē caelō dēmitteret! Tunc, īrātus, fulmen in puerum quī in currū stābat iēcit; Phaetōn, graviter vulnerātus, in flūmen Ēridanum cecidit ac mersus est, nec quisquam eī auxilium ferre potuit: nē pater quidem, quī miserē lūgēns illō die nūllam lūcem dedit terrīs; neque sorōrēs, quae, effūsīs lacrimīs, quattuor mēnsēs nocte diēque eum vocābant humī iacentēs, donec dī pedēs eārum in rādīcēs, capillum in folia, bracchia in rāmōs mūtāvērunt: restābant tantum ōra vocantia mātrem: quid vērō faceret misera māter? Currēns enim hūc et illūc fīliārum corpora complectēbātur et manibus rāmōs, in quibus membra claudēbantur, rumpere et frangere cōnābātur: at inde sanguis



Phaeton, Iovis fulmine percussus, in flumen Eridanum de caelo cadit



Actaeon in luco nymphas conspicit Dianam lavantes

effundēbātur tamquam ex vulnere: " Parce, precor, māter! clāmābant, " Parce! Nostrum enim corpus in arbore scinditur! Iamque valē!" Nec quidquam aliud dīcere potuērunt.

corpus *quod est* in arbore


5. Actaeōn

Actaeōn -onis (*acc sg Gr* -a) *m*

Fuit ōlim vallis quaedam multīs atque frequentibus operta arboribus, cuius in ultimā parte antrum erat nōn hominum arte sed natūrā cōnfectum. Ad dextram ex fonte pūrissima aqua effundēbātur; quī fōns mollī herbā undique cīnctus erat. Hīc Diāna, silvārum dea, quotiēs vēnandō fessa esset, ūnā cum nymphīs suīs cōnsīdēns lavāre membra solēbat.

operīre -uisse opertum
antrum -ī *n* (*v. pāg.* 54)
undique = ex omnibus locīs/partibus
cingere cīnxisse cīnctum
Diāna -ae *f*
vēnārī = ferās persequī et occīdere
nymphae -ārum *f pl* = deae minōrēs quae silvās, montēs, flūmina incolunt

Cum igitur ōlim in illam silvae partem pervēnisset, nymphārum ūnī arcum sagittāsque suās trādidit, alterī vērō vestem dedit; duae calceōs ex pedibus exuunt, dum tertia capillōs per collum sparsōs colligit in nōdum. Tum aquam ex fonte capācibus urnīs haustam in deae corpus effundunt. Cum autem Diāna sīc membra lavet, iuvenis quīdam, nōmine Actaeōn, quī cum canibus suīs in silvā vēnābātur,

ex-uere ↔ induere
col-ligere (< cum + ligere) ↔ spargere
nōdus -ī *m*

capāx -ācis = quī multum capit (: continet)
urna -ae *f*


per nemus ignōtum nōn certīs passibus errāns
pervenit in lūcum: sīc illum fāta ferēbant.

nemus -oris *n* = silva cum campīs
lūcus -ī *m* = silva in quā deus adōrātur
fātum

Quī, cum prīmum in antrum intrāvit, ā Nymphīs cōnspectus est Diānam lavantibus; quae, animō valdē perturbātae, magnīs clāmōribus ingentibusque ululātibus tōtum lūcum implēvērunt, et circumdantēs Diānam suīs corporibus texērunt; tamen ipsa dea altior illīs erat; ērubuit igitur, atque color, quī cum sōl ōritur aut occidit

ululātus -ūs *m* < ululāre
ē-rubēscere -buisse = rubēre incipere, rubēns fierī


nūbibus esse solet aut purpureae Aurōrae,
is fuit in vultū vīsae sine veste Diānae.

purpureus -a -um < *purpura*
purpura -ae *f* = color ruber pretiōsus

Dea īrāta, cum nōn prope sē habēret sagittās, hausit aquam ē fonte, et vultum capillumque virī spargēns, haec verba addidit: "Nunc, sī poteris, licēbit tibi nārrāre tē Diānam veste positā vīdisse!"



Canes Actaeonem in cervum mutatum dilacerant



Statim cornua cervī in Actaeonis capite aquā aspersō crēvērunt, collum auctum est, longiōrēs factae sunt aurēs, et manus in pedēs, bracchia in longa crūra mūtāta sunt tōtumque corpus pilīs maculīsque opertum est. Ingentī metū affectus, fūgit Actaeōn,

et sē tam celerem cursū mīrātur in ipsō;
ut vērō vultūs et cornua vīdit in undā,
"mē miserum!" dictūrus erat: vōx nūlla secūta est!
Ingemuit: vōx illa fuit, lacrimaeque per ōra
nōn sua flūxērunt; mēns tantum prīstina mānsit.
Quid faciat? repetatne domum et rēgālia tēcta
an lateat silvīs? Pudor hoc, timor impedit illud.

in ipsō cursū
vultūs   vultum
unda -ae *f* = parvus flūctus (: aqua)
in-gemere -uisse = graviter spīrāre ob dolōrem
fluere flūxisse
prīstinus -a -um = antīquus
manēre mānsisse
re-petere: patriam r.
rēgālis -e < rēx (Actaeōn fuit fīlius fīliī rēgis)
hoc   in silvīs latēre
impedīre = aliquā rē prohibēre
illud: domum et rēgālia tēcta repetere

Cum autem, nesciēns quid faceret, sīc dubitāret, canēs eum vīdērunt; quōrum prīmī, cum cōnspexissent, vērum cervum eum esse putantēs, lātrandō signum ceterīs dedērunt; continuō igitur omnēs simul in eum fugientem impetū factō per silvam, per vallēs, per dūra saxa et per loca in quibus nūlla erat via persecūtī sunt.

Ille fugit per quae fuerat loca saepe secūtus,
heu! famulōs fugit ipse suōs. Clāmāre libēbat:
"Actaeōn ego sum: dominum cōgnōscite vestrum!"
Verba animō dēsunt; resonat lātrātibus aethēr.

per ea loca per quae secūtus fuerat (: erat) *ferās*
famulus -ī *m* = servus; famulōs: canēs
re-sonāre = sonum dare/facere
lātrātus -ūs *m* < lātrāre
aethēr -eris (*acc sg Gr* -era) *m* = āēr summus, caelum

Cum tandem eum canēs cōnsecūtī essent, eōrum prīmus dentibus in Actaeonis tergō vulnera fēcit; duō vērō aliī dentēs in crūribus fīxērunt; deinde, dum illī dominum retinent (quem cervum esse crēdēbant!) reliqua turba adveniēns eius corpus dentibus petīvit atque multīs in partibus momordit. Querebātur ille ob dolōrem, nec tamen hūmānōs sonōs ex ōre ēdere poterat: cum in genua cecidisset, ferē rogāre et ōrāre ut sibi parcerent vidēbātur: circum sē aspiciēns oculīs, tendēbat


ē-dere < dare

vultum ut solent bracchia tendere quī ōrant; at ecce accēdunt amīcī, quī ūnā cum eō vēnārī solēbant; quī, ignārī, canēs hortābantur ut cervum dentibus tenērent nēve fugere sinerent,

oculīsque Actaeona quaerunt
et velut absentem certātim "Actaeona!" clāmant
(ad nōmen caput ille refert) et abesse queruntur:
vellet abesse quidem, sed adest; velletque vidēre,
nōn etiam sentīre canum fera facta suōrum.
undique circumstant, mersīsque in corpore rostrīs
dīlacerant falsī dominum sub imāgine cervī!

certātim *adv* < certāre

refert vertit



rōstrum -ī *n*

ferus -a -um = ferōx

circum-stāre

dī-lacerāre = trahere hūc illūc mordendō

dominum sub fals*ā* imāgine cervī

Sīc ille, graviter vulnerātus, miserē vītam fīnīvit.

INDEX NOMINVM

Numerī Rōmānī (I, II, III...) capitula significant, numerī vērō Arabicī (1, 2, 3...) līneās; Tit. = titulus; XXVI. Tit. 1 = titulus prīmae fābulae capitulī XXVI.

Acis -idis (*acc Gr* Acin) *m*, pāstor quī Galatēam amābat, **XXX**. 5

Acteōn -ōnis *m*, iuvenis quī ā Diānā in cervum mūtātur, **XXXIV**.Tit.5

Admētus -i *m*, rēx Thessaliae, Alcēstis marītus, **XXVIII**.277

Agēnōr -oris *m*, pater Cadmī et Eurōpae, rēx Asiae, **XXXI**.316

Adōnis -is (*voc* Adōni) *m*, iuvenis quem Venus amābat, **XXXIII**.Tit.5

Alcēstis -is *f*, uxor Admētī, parāta ad moriendum prō eō, **XXVIII**.Tit.5

Alcinous -ī *m*, pater Nausicaae, rēx Phaeācum, **XXVIII**.147

Alcyonē -ēs *f*, uxor Cēycis, **XXX**.Tit.3

Alphēus -ī m, flūmen quod Arethūsam amāvit, **XXIX**.210

Andromeda -ae *f*, virgō fīlia Cēpheī et Cassiopēae, **XXXIII**.Tit.1

Anaxarētē -ēs *f*, fēmina crūdēlis, quam Iphis amābat, **XXIV**.300

Anthēdōn -ōnis *f*, īnsula Graeca in quā Glaucus in deum maris mūtātur, **XXX**.57

Apollō -inis *m*, deus lūcis et cantūs, XXVII.69

Arachnē -ēs *f*, fēmina superba, quae ā Minervā in arāneam mūtātur, **XXXII**.Tit.1

Arcadia -ae *f*, regiō Graeciae, **XXXII**.287

Arcas -adis *m*, fīlius Callistūs, quī ā Iove in ursam minōrem mūtātur, **XXXII**.Tit.5

Arethūsa -ae *f*, virgō pulcherrima ā flūmine Alphēō amāta, quae in fontem mūtātur, **XXIX**.Tit.3

Argus -ī *m*, cūstōs Īō, quī centum oculōs habēbat, **XXXII**.162

Aristaeus -ī *m*, pāstor improbus, quī Eurydicen amābat, **XXIX**.16

Atalanta -ae *f*, pulcherrima virgō, quam Hippomenēs cursū vīcit, **XXVIII**.Tit.1

Athamās -antis *m*, Graecōrum rēx, pater Phrixī et Hellēs, **XXVII**.109

Bacchus -ī *m*, Iovis fīlius, deus vīnī, **XXXII**.106

Baucis -idis *f*, pia anus, uxor Philēmonis, **XXXII**.Tit.4

Bellerophōn -ontis *m*, Graecus vir fortis, quī Chimaeram necāvit, **XXXIII**.Tit.2

Cadmeia -ae *f*, vetus nōmen Thēbārum, urbis in Graeciā sitae, **XXXI**.424

Cadmus *m*, fīlius Agēnoris, frater Eurōpae; dracōnem necāvit et Thēbās aedificāvit, **XXXI**. Tit.5

Callistō -ūs (*acc/dat/abl* -ō) *f*, pulcherrima fēmina, māter Arcadis, **XXXII**.Tit.5

Cancer -ī *m*, sīdus, XXXIV.405

Cassiopēa -ae *f*, uxor Cēpheī rēgis, māter Andromedae, **XXXIII**.1

Cēpheus -ī *m*, rēx Asiae, marītus Cassiopēae et pater Andromedae, **XXXIII**.2

Caucasus -ī *m*, mōns Asiae, **XXXI**.165

Centaurus -ī *m* , mīrum animal, cui caput, bracchia et pectus hominis, cēterum corpus equī est, **XXXI**.173

Cerēs -eris *f*, dea frūgum, māter Proserpinae, **XXIX**. Tit. 2

Cēyx -ycis *m*, marītus Alcyonēs, **XXX**.Tit.3

Chimaera -ae *f*, horrendum mōnstrum, cui duo erant capita, alterum leōnis, alterum caprī, cauda vērō serpentis; ā Bellerophonte necātum est, **XXXIII**.97

Claudius -ī *m*, improbus vir, quī Virginiam, probam virginem Rōmānam, rapuit, **XXVI**.43

Clymenē -ēs *f*, nympha, māter Prometheī et Epimetheī, **XXXI**.75

Colchis -idis *f*, regiō Asiae, XXVII.152
Comātās -ae *m*, pāstor, quem Mūsae ā morte servārunt, XXVII.Tit.4
Coriolī -ōrum *m pl*, māxima Volscōrum urbs, XXVIII.97
Cornēlia -ae *f*, nōbilis fēmina Rōmāna, Gracchōrum māter, XXVI.Tit.4
Corōnis -idis *f*, pulchra at improba puella, quam Apollō amāvit, XXVII.Tit.5
Cyclops -clopis *m*, mōnstrum horrendum, cui ūnus est oculus in mediā fronte, XXX.1
Cyparissus -ī m, pulcherrimus puer, quem Apollō amāvit, XXVIII.Tit.4
Daphnē -ēs *f*, pulcherrima virgō, fīlia flūminis Penēī, quam Apollō amāvit, XXXII.Tit.1
Deucaliōn -ōnis *m*, probus vir, Pyrrhae marītus, quī, ex aquīs mundum operientibus rate servātus, terrās hominibus iterum implēvit, XXXI.Tit.1
Diāna -ae *f*, Iovis et Latōnae fīlia, Apollinis soror, dea vēnātōrum, XXVII.69
Ēchō -ūs *f*, nympha ā Iunōne pūnīta, quae Narcissum īnfēlīcī amōre amāvit, XXXIV.Tit.2
Epimētheus -ī *m*, Titānus, frater Prometheī, Pandōrae coniūnx, XXIX.279
Ēridanus -ī *m*, fluvius Padus, XXXIV.518
Etrūria -ae *f*, regiō Italiae prope Latium, XXXIII.167
Etruscī -ōrum *m pl*, Etrūriae incolae, XXXIII.167
Eurōpa -ae *f*, fīlia Agēnoris, quam Iuppiter, fōrmā taurī indūtus rapuit, XXVI.Tit.3
Eurydicē -ēs *f*, īnfēlix uxor Orpheī, XXIX.Tit.1
Eurytus -ī *m*, improbus et saevus Centaurōrum prīncēps XXXI.205
Galatēa -ae f, nympha, quam Polyphēmus amāvit, XXX.Tit.1
Ganymēdēs -is *m*, pulcherrimus adulēscentulus, quem Iuppiter in Olympum sēcum portāvit, ut pōculī minister fieret, XXX.Tit.5
Glaucus -ī *m*, piscātor, quī, mīrābilī herbā cōnsūmptā, maris deus factus est, XXX.Tit.2
Hellē -ēs (*acc* -ēn) *f Gr*, fīlia Athamantis, soror Phrixī; in mare cecidit, quod ab eā 'Hellēspontus' nōminātur, XXVII.Tit.3
Hellēspontus -ī *m*, fretum inter Graeciam et Asiam, in quod Hellē mersa est, XXVII.149
Herculēs -is *m*, fortissimus fīlius Iovis et fēminae mortālis, XXVII.48
Hēsiona -ae *f*, fīlia Laomedontis, quam Herculēs ā saevō mōnstrō servāvit, XXXIII.Tit.4
Hippodamē -ēs *(acc -ēn) f Gr*, iuvenis, quī Atalantam cursū vīcit, XXXI.179
Hippomenēs -ae *m* (*voc* -ē), virgō fōrmōsissima, Pīritoī uxor, XXVIII.29
Horātius *m*, fortissimus mīlēs Rōmānus, cui cognōmen fuit 'Cocles'; Tuscōs ē ponte reppulit, XXX.Tit.4
Hyacinthus -ī *m*, pulcherrimus puer, quem Apollō amābat, discī ictū forte occīsus, XXXIV.Tit.1
Īapetus -ī *m*, Titānus, pater Prometheī, XXXI.64
Īda -ae *f*, mōns in Asiā, prope Trōiam, XXX.236
Īnachus -ˉ, *m*, flūmen Graeciae, pater Īō, XXXII.134
Īnō -ōnis *f*, saeva uxor Athamantis, noverca Phrixī et Hellēs, XXVII.110
Īō *f indēcl*, fīlia Īnachī, quam Iuppiter in vaccam mūtāvit, XXXII. Tit.3
Iphis -idis *m* (*acc Gr* Iphin), īnfēlix iuvenis, quī crūdēlem Anaxarēten amāvit, nec quid spērāret habuit, XXXIV.300
Iris -idis *f*, nūntia Iunōnis, variīs colōribus exōrnāta, XXX.151
Lāomedōn -ontis *m*, rēx Trōiae īnfīdus, pater Hēsionae, XXXIII.Tit.4
Lapithae -ārum *m pl*, populus, quem Pīrithous regēbat, XXXI. 178
Latium -ī *n*, regiō Italiae, in quā Rōma sita est, XXVI. 130
Lātōna -ae *f*, dea, māter Apollinis et Diānae, XXVII. Tit.2
Leō -ōnis *m*, sīdus, XXXIV. 433
Minerva -ae *f*, fīlia Iovis, dea artium, XXIX.274
Minos -ōis *m*, rēx Crētae īnfīdus et fallāx, XXVII. Tit. 1
Mūsa -ae *f*, ūna ex novem deābus artium canendī, scrībendī, saltandī, XXVII.167
Nāias -adis *f*, nympha aquārum, XXXIV.372
Narcissus -ī *m*, pulcherrimus adulēscentulus, quī suam ipsius imāginem amāvit, XXXIV.Tit.2
Nausicaa -ae *f*, fōrmōsa fīlia Alcinoī, XXVIII.Tit.3
Nērēis -idis *f*, nympha maris, XXXIII.7
Niobē -ēs *f* (*acc Gr* -ēn), superba fēmina, cuius omnēs līberī ab Apolline et Diāna, iubente Latōnā, occīsī sunt, XXIX.Tit.5
Nympha **-ae**, *f*/**Nymphae** **-**ārum *f pl*, *Nymphae* sunt deae minōrēs, quae flūmina, silvās, montēs mariaque incolunt, XXVIII.151
Oebalides -idae (*voc* -e) *m*, Hyacinthus, fīlius Oebalī, XXXIV.84
Ōceanus -ī *m*, deus ōceanī, XXX.86
Olympus -i *m*, mōns Graeciae, ubi deī habitant, XXVII.51
Orpheus, -eī *m*, fīdicen praeclārus, quī ad Īnferōs dēscendit, ut inde uxōrem redūceret, XXIX.Tit.1

Ortygia -ae *f*, īnsula prope Syrācūsās, Siciliae oppidum, sita, XXIX.249
Pān Pānis *m*, deus silvārum et pāstōrum, XXXIV.254
Pandōra -ae *f*, pulcherrima fēmina ā Vulcānō suā arte cōnfecta, Epimetheī coniūnx, quae vās omnium malōrum plēnum aperuit, XXIX.Tit.4
Parcae -ārum *f pl*, trēs deae, quae fīlum vītae texunt, XXVIII.285
Parnāssus -ī *m*, mōns Graeciae, ubi habitant Mūsae, XXXI.36
Pēgasus -ī *m*, equus ālātus, XXXIII.108
Pelops -opis *m*, fīlius Tantalī, cuius carnēs pater deīs coctās apposuit, XXXI.282
Pēnēus -ī *m*, flūmen, pater Daphnēs, XXXII.1
Perseus -ī *m*, fortissimus vir, quī Andromedam ā saevō mōnstrō servāvit, XXXIII.45
Phaeācēs -um *m pl*, populus quī īnsulam Scheriam incolit, cuius rēx est Alcinous, XXVIII.148
Phaetōn -ontis *m*, fīlius Sōlis imprūdēns, XXXIV.Tit.4
Philēmōn -onis *m*, pius vir, marītus Philēmonis, quī Iovis sacerdōs fit, XXXII.Tit.4
Phoebus -ī *m*, nōmen Apollinis, XXXII.106; nōmen Sōlis, XXXIV.394
Phrixus -ī *m*, fīlius Athamantis, frater Hellēs, XXVII.Tit.3
Pīrithous -ī *m*, rēx Lapithārum, marītus Hippomenēs XXXI.178
Polydus -ī *m*, callidus vir, quī Bellerophontī prūdens cōnsilium dat, XXXIII.100
Polyphēmus -ī *m*, saevus Cyclops, quī Galatēam amāvit, XXX.Tit.1
Pōmōna -ae *f*, nympha hortōs mīrā arte colēns, quam Vertumnus amābat, XXXIV.Tit.3
Porsenna -ae *m*, rēx Etruscōrum, XXX.189
Promētheus -ī *m*, Titānus quī ignem deīs surreptum hominibus donāvit, XXIX.259
Proserpina -ae *f*, fīlia Cereris, quam Plūtō rapuit et Īnferōrum rēgīnam cōnstituit, XXIX.42
Pygmaliōn -ōnis *m*, artifex, quī mīrābilia signa cōnficere solēbat, XXVI.Tit.1
Pyrrha -ae *f*, uxor Deucaliōnis, XXXI.Tit.1
Pȳthōn -ōnis *m*, ingēns serpēns, quem Apollō necāvit, XXXII.6
Sabīnī -ōrum *m pl*, populus Italiae, XXVI.130
Sagittārius -iī *m*, sīdus, XXXIV.432
Satyrus -ī *m*, comes Bacchī, XXXIV.253
Scaevola -ae *m*, Gāius Mūcius, fortissimus vir Rōmānus, XXXIII.3
Scheria -ae *f*, īnsula Phaeācum, in quā Alcinous regnābat, XXVIII.148
Scorpiō -ōnis *m*, sīdus, XXXIV.435
Silvānus -ī *m*, deus silvārum, XXXIV.254
Styx -gis *f*, flūmen apud Īnferōs, XXXIV.236
Syrācūsae -ārum *f pl*, oppidum Siciliae praeclārum, XXIX.250
Tantalus -ī *m*, Titānus īnfīdus et fallāx, XXXI.Tit.4
Tarpēia -ae *f*, improba fēmina, quae Rōmānōs prōdidit, XXVI.Tit.5
Tarquinius -ī *m*, superbus Rōmānōrum rēx, XXX.184
Taurus -ī *m*, sīdus, XXXIV.431
Telamō -ōnis *m*, amīcus Herculis, Hēsionae coniūnx, XXXIII.280
Tethys -yos (*acc Gr* -yn), dea maris, uxor Ōceanī, XXX.86
Thēbae -ārum *f pl*, urbs in Graeciā sita, quam Cadmus aedificāvit, XXXI.425
Themis -idis *f*, dea quae cūstōdit quidquid iūstum est, XXXI.44
Thessalī -ōrum *m pl*, cīvēs Thessaliae, XXVIII.290
Thessalia -ae *f*, regiō Graeciae, XXVIII.278
Tiberius -ī *m*, Gracchus, fīlius Cornēliae, XXVI.107
Titānus -ī *m*/**Titānī** -**ōrum** *m pl*, *Titānī* sunt deī antiquissimī, fīliī Caelī et Terrae, XXXI.74
Trōiānī -ōrum *m pl*, incolae urbis Trōiae, XXX.234
Tullia -ae *f*, superba fēmina Rōmāna, quae suās gemmās glōriōsē ostendēbat, XXVI.110
Tūscia -ae *f*, Etrūria, regiō Italiae prope Latium sita, XXX.184
Tūscus -a -um/ **Tūscī** -ōrum *m pl*, Etrūriae incolae, XXX.184
Ulixēs -is *m*, Graecus vir fortissimus, rēx Ithacae, XXVIII.162
Ūrānus -ī *m*, deus caelī antiquissimus, XXIX.29
Vertumnus -ī *m*, deus hortōrum et pōmōrum, XXXIV.Tit.3
Veturia -ae *f*, māter Gāī Marcī Coriolānī, XXVIII.Tit.2
Virgīnia -ae *f*, virgō Virgīniī fīlia, XXVI.Tit.2
Virgīnius -ī *m*, probus vir Rōmānus, Virgīniae pater, XXVI.Tit.39
Volscī -ōrum *m pl*, gēns Latiī, XXVIII.97
Volumnia -ae *f*, Coriolānī uxor, XXVIII.148

INDEX VOCABVLORVM

A
ab-esse a-fuisse XXX.268
ac-cendere -disse -ēnsum XXXI.112
accipere -cēpisse -ceptum XXVIII.134
accumbere -cubuisse XXXII.245
accurrere -currisse XXXI.161
acerbus -a -um XXX.103
acus -ūs *f* XXXII.65
addere -didisse -ditum XXXII.264
ad-dūcere XXVII.20
adesse + *dat* XXVIII.271
ad-iuvāre XXVIII.71
ad-mīrārī XXVI.5
adsonāre -uisse XXXIV.237
ad-stāre XXXIII.64
adulēscentulus -ī *m* XXX.246
advena -ae *m/f* XXXII.238
adversus XXX.190
ad-volāre XXX.250
āēr, *acc* āera XXVII.86
aestus -ūs *f* XXXIV.508
aetās -ātis *f* XXVIII.281
aethēr -eris *m* XXXIV.579
aevum -ī *n* XXXIV.326
agere (vītam) XXXIII.166
agitāre XXX.126
ālātus -a -um XXXIII.112
alere -uisse XXVII.194
aliō *adv* XXX.140
amārus -a -um XXXII.166
ambō -ae -ō XXX.177
ā-mēns -entis XXXIII.64
ā-mittere -mīsisse -missum XXVIII.68
amoenitās -ātis *f* XXIX.198
ā-movēre XXXIII.214
amplus -a -um XXXIII.153
anguis -is *m* XXXII.7
anhēlāre XXXIV.63
anīlis -e XXXIV.359
animadvertere -vertisse XXVII.65
ānser -eris *m* XXXII.257
antrum -ī *n* XXX.31
anus -ūs *f* XXXII.72
aper aprī *m* XXXIII.283
aperīre XXXI.263
ap-pōnere -posuisse -positum XXVIII.12
apprehendere -prehendisse -prehēnsum XXX.265
ap-propinquāre + *dat* XXVII.82
āra -ae *f* XXVII.173
arānea -ae *f* XXXII.131
arca -ae *f* XXVII.187
arcessere -īvisse -ītum XXVII.178
arcus, *dat/abl* arcubus XXX.223
ārdēre -sisse -sum XXIX.71
ariēs arietis *m* XXVII.131
armilla -ae *f* XXVI.139
ar-rīdēre XXXIV.210
artus -ūs *m* XXXIV.81
arvum -ī *n* XXXIV.55
aspergere -sisse -sum XXXII.128
at-tamen XXXIII.234
audēre ausum esse XXVI.60
au-ferre abs-tulisse ab-lātum (*dat.*) XXVI.32
augēre -xisse -ctum XXIX.158
aura -ae *f* XXXIV.58
aurātus -a -um XXXII.273
auri-comus -a -um XXXIV 66
āversāre XXXIV.288
axis -is *m* XXXIV.453
B
barba -ae *f* XXX.26
bibere bibisse XXVIII.11
bonum -ī *n* XXVIII.201
brevī (tempore) XXVIII.87
C
cadere cecidisse XXXIII.165
caelāre XXXIV.370
caelestia tēcta XXXIV.471
caelestis -e XXXIV.471
caeruleus -a -um XXVI.21
calathus -ī *m* XXIX.107
calcāre XXXIV.388
calculus -ī *m* XXIX.193
cale-facere XXXI.115
cālīgō -inis *f* XXX.158
callidus -a -um XXXIII.100
candidus -a -um XXVIII.200
candor -ōris *m* XXXIV.180
cānus -a -um XXXII.71
capāx -ācis XXXIV.541
capella -ae *f* XXXII.192
caper -prī *m* XXXIII.131
capra -ae *f* XXVII.159
carēre -uisse XXVIII.218
carpere carpsisse carptum XXVI.84
carptās dedit XXVI.84
cārus -a -um XXVIII.280
casa -ae *f* XXVII.115
cāseus -ī *m* XXX.16
cāsus -ūs *m* XXXIII.57
cēlāre XXXII.159
celeritās -ātis *f* XXXI.79
cēna -ae *f* XXVIII.9
certāre -āvisse ātum XXXII.89
certātim *adv* XXXIV.592
cervus -ī *m* XXVIII.240
cingere cīnxisse cīnctum XXXI.137
cingulum -ī *m* XXIX.140
cinis -eris *m* XXXIV.504
circum-dare -dedisse -datum XXIX.76
circum-spicere XXXIV.443
circum-stāre XXXIV.596
clipeus -ī *m* XXXII.95
cocles -itis XXX.Tit.4
cōgere XXVIII.238
co-īre XXXIV.137
colere -uisse XXIX.339
col- labi -lāpsum esse XXXIV.80
col-ligere -lēgisse -lēctum XXIX.102
comb-ūrere XXXIV.510
com- movēre XXXIV.52
commūnis -e (+ *dat*) XXVII.86
com-mūtāre XXIX.104

complectī -xum esse XXVIII.141
com-plēre -ēvisse -ētum XXX.64
complexus -ūs *m* XXXIV.141
com-pōnere XXXI.314
com-prehendere -disse -ēnsum XXVI.74
concubitus -ūs *m* XXXIV.286
con-cutere -cussisse -cussum XXXIII.163
cōn-fugere -fūgisse XXVIII.105
cōn- ferre: se c. XXXIII.182
con-gerere XXXIV.67
cōnscīscere -scīvisse XXXII.126
cōnsequī XXIX.180
cōnsilium capere XXXI.237
cōnsistere -stitisse XXVIII.87
cōnsulere (aliquem) XXX.102
con-temnere -tēmpsisse -tēmptum XXVI.66
contentus -a -um + *abl* XXXIV.253
con-tingere XXXIV.166
con-vertere -tisse -sum XXVII.106
co-orīrī -ortum esse XXVIII.166
cōpiōsus -a -um XXXIII.40
corbis -is *f* XXXIV.259
corōna -ae *f* XXVIII.51
cor-ripere XXXIV.174
cortex -cis *m/f* XXXII.52
coruscus -a -um XXXIV.72
corvus -ī *m* XXVII.230
cotīdiānus -a -um XXIX.358
cremāre XXXIV.471
crīmen -inis *n* XXX.187
croceus -a -um XXXIV.239
cruciātus -ūs *m* XXXI.305
crūdēlis -e XXIX.74
cultus -a -um *part* XXXIV.273
cultus -ūs *m* XXIX.264
cupīdō -inis *f* XXXIV.250
cupressus -ī *f* XXVIII.274
cūra -ae *f* XXXIV.442
currere cucurrisse XXVI.55
cursus -ūs *m* XXVIII.69
D
dēbilis -e XXIX.324
dē-cipere -cēpisse -ceptum XXXI.290
decus -oris *n* XXXIV.179
dēfendere -fendisse -fēnsum XXX.199
dēflectere XXXIV.78
dē-icere -iēcisse -iectum XXXIII.164
dē-lābī -lāpsum esse XXVII.145
delphīnus -ī *m* XXVII.57
dē-lūdere XXXIV.112
dē-mittere XXXIV.516
dēnsus -a -um XXXIII.115
dē-pōnere XXXIV.357
dē-pōnere -posuisse -positum XXVI.101
dē-prehendere/-prēndere XXXIV.442
dērigēre -uisse XXXIV.361
dēsīderium -ī *n* XXIX.70
dēstruere -ūxisse -ūctum XXX.210
dē-vincere XXXII.8
dif-fugere XXXIV.460
dī-lacerāre XXXIV.597
dīlēctus -a -um XXVIII.260
discēdere -ssisse XXVIII.110
discus -ī *m* XXXIV.11
dissimilis -e XXIX.377
dis-suādēre + *dat* XXIX.378
diū XXVI.33
dīversus -a -um XXXIV.376
dīvīnus -a -um XXVI.102
domus, *gen pl* domuum XXXI.27
dōnec XXVII.47
dorsum -i *n* XXVII.58
dracō -ōnis *m* XXVII.156
dum + *coni* XXX.22
dūmus -ī *m* XXXIII.296
dūrus -a -um XXXIV.309
E
eburneus -a -um XXXIV.365
ebur -oris *n* XXXIV.365
ē-dere -didisse -ditum XXXIV.344
ē-dūcere XXIX.251
ef-ferre ex-tulisse ē-lātum XXVII.57
ef-flāre (animam e.) XXIX.365
ef-fundere XXX.53
ēgregius -a -um XXIX.1
ē-mergere XXXIII.62
e-minēre XXXIV.371
e-mittere XXVII.43
equīnus -a -um XXXI.176
ē- rigere -rēxisse -rēctum XXXI.391
ē-rubēscere -buisse XXXIV.550
ēsurīre XXVII.75
etiam-sī XXVIII.229
ē-vocāre XXXIII.17
ex -animis -e XXXIV.326
ex-cipere -cēpisse -ceptum XXXIV.80
ex-cruciāre XXXI.309
ex-currere -risse XXXIII.297
ex-īre -iisse XXVI.145
ex-ōrnāre XXVII.229
ex-pellere -pulisse -pulsum XXX.188
experīrī: (rem e.) XXVIII.173
ex-pōnere -posuisse -positum XXVII.60
ex-spīrāre XXXIII.133
exstinguere XXXIV.306
ex-tenuāre XXXIV.148
ex-trahere XXX.370
extrēmus -a -um XXXII.97
ex-uere XXXIV.539
ex-ūrere -ussisse -ustum XXXIII.212
F
facinus -oris *n* XXXIV.86
famulus -ī *m* XXXIV.577
fastidīre XXXIV.71
favēre + *dat* XXVII.4
favus -ī *m* XXXII.248
fēlīcia XXXIV.244
fēlīx -īcis XXXIV.244
fēnum -ī *n* XXXIV.260
ferē XXIX.72
ferōcia -ae *f* XXXI.398
ferrō XXIX.369
ferula -ae *f* XXXI.99
ferus -a -um XXXIV.595
fīnēs -ium *m pl* XXVIII.131
flagrāre XXXII.24
flāmen -minis *n* XXXIV.63
flamma -ae *f* XXXI.95
flātus -ūs *m* XXXIV.30
flectere XXIX.398
flēre -ēvisse XXVI.33
foedāre XXIX.357
fōns fontis *m* XXIX.243
fortitūdō -inis *f* XXXII.303
fraudāre XXXIV.317
frēnum -ī *n* XXXIII.107
frōns frondis *f* XXX.27
frūstrā *adv* XXVII.245
fugāre XXXIV.68
fulgēre XXXIV.379
fulgere XXIX.192
fūmus -ī *m* XXIX.78
fundere fūdisse fūsum XXVIII.10
fundus -ī *m* XXVII.57
fūnis -is *m* XXVII.45
fūnus -eris *n* XXXIV.87; XXXIV.345
G
galea -ae *f* XXVI.135
gemitus -ūs *m* XXXIV.94
gerere: sē gerere XXXII.10
gestāre XXXII.96
glaciālis -e XXXIV.389
grānum -ī *n* XXIX.174

grātēs *f pl* XXXIV.475
grātus -a -um XXIX.15
gravitās -ātis *f* XXXIV.480
gutta -ae *f* XXIX.241
H
habēnae -ārum *f pl* XXIX.351
haedus -ī *m* XXVII.172
haerēre -sisse -sum XXXIV.353
harundō -inis *f* XXXIV.266
herbōsus -a -um XXVIII.251
hirsūtus -a -um XXXIV.389
honōs -ōris *m* XXVIII.339
horrendus -a -um XXVII.44
horrēre -uisse XXXII.173
hospes -itis *m* XXVIII.339
I
iacēre -cuisse XXVI.163
ictus -ūs XXXIV.32
idōneus -a -um XXVIII.21
igneus -a -um XXXI.96
ignōtus -a -um XXVIII.243
il-līmis -e XXXIV.164
immedicābilis -e XXXIV.83
im-minēre XXXIV.371
im-mītis -e XXXIV.316
im-mittere XXIX.232
immortālēs -ium *m pl* XXIX.320
im-mōtus -a -um XXIX.397
impedīre XXXIV.569
im-pendēre XXXIII.248
imperātum -ī *n* XXVI.52
impes -petis *m* XXXIV.69
impetrāre XXIX.50
impius -a -um XXXIV.70
im-prūdēns –tis XXVIII.253
impūne *adv* XXXII.17
in-cendere -cendisse -cēnsum XXVI.154
incendium -ī *n* XXXIV.503
incola -ae *m/f* XXVIII.279
in-cubāre (+ *dat*) XXX.179
in-cumbere -cubuisse (+ *dat*) XXX.130
inde XXXIV.152
inde ab XXIX.2
in-dūcere -dūxisse -ductum XXXIV.352
in-ermis -e XXXI.87
īn-fēlīx -īcis XXIX.32
īnfēstāre XXXIII.98
īnfēstus -a -um XXVII.43
īn-fīgere XXXIII.77
in-gemere -uisse XXXIV.566
ingemināre -āvisse -ātum XXXIV.115
in-gredī -gressum esse XXVI.148
inhibēre XXXIV.468
in-icere -iō -iēcisse -iectum XXXIII.139
īnsānia -ae *f* XXIX.74
īn-sequī XXVII.118
īnserere -seruisse -sertum + *dat* XXXIII.124
īn-sidēre sedisse + *dat* XXVIII.137
īnsidiae -ārum *f* XXXIV.430
īn-spicere XXIX.294
intel-legere -ēxisse -ēctum XXVII.34
inter-diū XXXI.167
inter-dum XXXI.238
intereā XXVIII.49
interior -ius comp XXXI.56
intimus -a -um *sup* XXIX.368
in-tremere -uisse XXXIV.488
in-vidēre + *dat* XXVI.45
invidus -a -um XXXIV.63
invītāre XXXI.272; XXXII.193
invītus -a -um XXXIV.475
īra -ae *f* XXXI.35
ir-rīdēre XXXIV.316
iter itineris *n* XXIX.44
iuba -ae *f* XXIX.356
iūcundus -a -um XXIX.38
iugum -ī *n* XXXIV.480
iungere + *dat* XXXIV.464
iuvenālis -e XXXIV.473
iuvenis -is *m* XXVIII.34
L
labor -ōris *m* XXXIV.468
lacrimōsus -a -um XXXIV.345
lapidum venae XXXI.69
lapis -idis *m* XXXI.61
laqueus -ī *m* XXXII.126
largīrī -ītum esse XXVII.41
latēre XXIX.27
latibulum -ī *n* XXXIII.297
lātrātus -ūs *m* XXXIV.579
laurus -ī *f* XXXII.55
lavāre lāvisse XXX.89
lēgātus -ī *m* XXVIII.122
levāre XXX.13
lēx lēgis *f* XXIX.62
libēns -entis XXXIV.322
lībenter *adv*, **praef.**
līberāre XXVII.47
lympha -ae *f* XXXIV.202
liquidus -a -um XXXIV.202
longinquus -a -um XXVII.143
lōra -ōrum *n pl* XXXIV.46
luctārī XXIX.362
lūcus -ī *m* XXXIV.545
lūgēre lūxisse XXXIV.237
lūmen -inis *n* XXXIV.234
lympha -ae *f* XXXIV.203
lyra -ae *f* XXXIII.235
M
macula -ae *f* XXXIV.561
mālum Pūnicum XXIX.173
mālus -ī *m* XXIX.128
manēre mānsisse XXVIII.182
marīnus -a -um XXXIII.261
marmor -oris *n* XXVI.6
mātrimōnium -ī *n* XXVII.110
meminisse (*perf*) XXX.91
memoria -ae *f* **praef.**
mēta -ae *f* XXVIII.49
metallum -ī *n* 367 XXXIV.367
metere messuisse XXX.63
metuere -uisse XXVI.100
minae -ārum *f pl* XXXIV.114
minimē *adv* XXVI.82
mitra -ae *f* XXXIV.271
mittere XXIX.388
mōlēs -is *f* XXXIV.374
morbus -ī *m* XXIX.307
morī -ior XXVII.127
morsus -ūs *m* XXIX.28
mortālēs -ium *m pl* XXIX.291
movēre mōvisse mōtum XXVII.98
mūgīre -ivisse XXVI.83
musca -ae *f* XXXIII.161
N
nāre XXXIV.373
nāscī nātum esse XXVII.69
nātus -ī *m* XXXIV.410
nebula -ae *f* XXX.158
nēmō, *dat* nēminī XXVII.85
nemus -oris *n* XXXII.148
nepōs -ōtis *m* XXIX.260
nītī XXXIV.203
nitidus -a -um XXXIV.164
niveus -a -um XXXII.157
nocēre -uisse + *dat* XXVI.98
noctū *adv* XXVI.145
nōdus -ī *m* XXXIV.540
notāre XXXIV.210
noverca -ae *f* XXVII.123
nūmen -inis *n* XXXIV.290

nūntiāre XXIX.110
nūntius *m*, **nūntia** -ae *f* XXX.152
nūptiae -ārum *f* XXIX.13
O
ob-dormīre XXXII.197
ob-orīrī -ortum esse XXXIV.489
ob-stāre XXXIV.204
occāsus -ūs *m* XXXIV.405
occiduus -a -um XXXIV.64
occultē *adv* XXXIII.182
occultus -a -um XXXIV.268
occupāre XXXIV.473
occurrere -risse XXVIII.196
odiōsus -a -um XXXIV.78
ōdisse XXVII.231
odium -ī *n* XXXII.33
of-ferre XXVIII.244
olea -ae *f* XXXII.94
olīva -ae *f* XXXII.246
olor -ōris *m* XXXIII.310
opem ferre XXXIII.68
operculum -ī *n* XXIX.306
operīre -uisse opertum XXVII.161
opēs -um *f pl* XXXII.223
oportēre -uisse XXX.71
op-primere -pressisse -pressum XXVI.162
optāre XXVII.55
opus -eris *n* XXXII.119
ōrāre XVI.27
ortus -ūs *m* XXXIV.405
P
paenitēre -uisse (eum paenituit factī suī) XXVII.242
palaestra -ae *f* XXIX.359
pallēre -uisse XXX.104
pallēscere -luisse XXXIV.488
pallor -ōris *m* XXXIV.352
palūs -ūdis *f* XXXII.271
parāre XXVII.121; **sibi p.** XXVII.33
parcere pepercisse XXXIII.43
pārēre peperisse XXIX.319
pārēre -uisse XXVII.84
pāscere pāvisse pāstum XXXIV.165
patēre -uisse XXIX.139
paternus -a -um XXXIV.490
patrius -a -um XXXIV.442
paulātim XXXIV.149
pāvō -ōnis *m* XXXII.200
pel-licere -lēxisse lectum XXXIV.56
pendēre XXXIV.280
penitus *adv* XXXIV.4
per-agere -ēgisse -āctum XXXIV.343
per-cutere -cussisse -cussum XXVIII.254
pergere perrēxisse XXVIII.178
perīculum -ī *n* XXVII.47
perītus -a -um + *gen* XXXII.115
per-movēre -mōvisse -motum XXVII.56
perpetuus -a -um XXXII.348
per-venīre -vēnisse XXVI.96
petere (ab aliquo) XXVII.4
petere XXVIII.9
pharetra -ae *f* XXXI.19
pilus -ī *m* XXXI.83
pingere pinxisse pictum XXXII.65
placēre -uisse XXX.40
plangere XXX.173
pluere, ***praef.***
plumbum -ī *n* XXXIII.149
pompa -ae *f* XXXIV.346
pōmum -ī *n* XXXI.311
pondus -eris *n* XXXIV.62
pōnere posuisse positum XXVI.31
pōns -ontis *m* XXX.200
porrigere porrēxisse XXXIV.209
posterus -a -um XXVIII.227
praebēre -uisse -itum XXVII.135
praeda -ae *f* XXVI.153
praemium XXVI.157
praeter-īre -īvisse/-iisse -itum XXVIII.85
prātum -ī *n* XXXIV.60
precārī -ātum esse XXVIII.186
prehendere -disse -ēnsum XXXIII.301
pretiōsus -a -um XXVI.115
prīstinus -a -um XXXIV.567
prius... quam XXXI.230
prō *prp* + *abl* XXVI.57
probāre XXXIV.182
probitās -ātis *f* XXXII.303
prō-cumbere XXXI.46
pro-hibēre -uisse XXVII.103
prō-icere -iēcisse -iectum XXX.52
properāre XXVIII.81
proximus -a -um *sup* XXIX .353
prūdentia -ae XXVIII.149
prūnum -ī *n* XXXII.246
pūblicus -a -um XXX.182
pudendus -a -um XXVIII.174
puerīlis -e XXXIV.413
purpura -ae *f* XXXIV.382
purpureus -a -um XXXIII.193
Q
quercus -ūs *f* XXVII.155
R
radiāre XXXIV.73
rādīcēs agere XXXII.53
radius -ī XXXI.96, XXXIV.454
rādīx -īcis *f* XXXII.53
rāna -ae *f* XXVII.106
rapere rapuisse raptum XXVI.46
rapidus -a -um XXVIII.247
ratis ratis *f* XXXI.21
re-cipere -cēpisse -ceptum XXX.86
re-dūcere XXVIII.345
re-ferre rettulisse re-lātum XXIX.48
re- fovēre XXXIV.81
re-fugere XXXIV.71
rēgālis -e XXXIV.568
regia -ae *f* XXVII.2
rēgīna -ae *f* XXVII.50
rēgnum -ī *n* XXVIII.297
rē-icere XXXIV.293
relinquere -līquisse -lictum XXVI.94
re-mittere XXXIV.494
re-pellere XXXI.109
re-percutere XXXIV.190
re-petere XXXIV.568
re-plēre -ēvisse -ētum XXXI.207
re-portāre XXXIV.115
repulsa -ae *f* XXXIV.147
rēs gestae XXXII.92
rēs pūblica XXX.182
re-sonāre XXXIV.579
re-spicere -spexisse -spectum XXIX.62
re-stāre XXVIII.89
resupīnus -a -um XXXIV.203
rēte -is *n* XXX.59
re-tinēre -tinuisse -tentum XXXI.69
retrō XXIX.74
rigidus -a -um XXVIII.265
rīma -ae *f* XXVII.193
rīpa -ae *f* XXIX.194
rogus -ī *m* XXXIV.238
rōstrum -ī *n* XXXIV.596
rota -ae *f* XXXIV.454
rubēscere XXXIV.461
rubor -ōris *m* XXXIV.180
ruere XXXIV.69
S
sacer -cra -crum; arbor sacra XXXII.61

sacerdōs -ōtis *m/f* XXXII.279
sacrificāre XXVI.26
sacrificium -ī *n* XXVII.174
saltāre XXVII.168
saltem XXXIV.466
scālae -ārum *f pl* XXXIV.263
scelus committere XXXI.299
scēptrum -ī *n* XXIX.131
scintilla -ae *f* XXXI.98
scīre -īvisse XXXI.247
scrība -ae *m* XXXIII.198
sē cōn-ferre (in locum) XXXIII.182
sē-cēdere XXXIV.219
sēdāre XXVII.12, XXXIV.173
sē-ligere XXXIV.294
sēmideus -ī *m* XXXIV.289
senātor -ōris *m* XXVIII.136
senex senis *m* XXVI.66
sēnī - ae -a XXIX.181
sentīre sēnsisse sēnsum XXX.10
sē-parāre XXXIV.199
sepulcrum -ī *n* XXVIII. 275
serpēns -ntis *m/f* XXIX.27
sertum -ī *n* XXXII.285
siccāre XXX.65
sīdus -eris *n* XXXIV.73
sī forte XXXI.321
silēre -uisse XXXIII.54
similis -e (+ *dat*) XXVII.22
simul ac XXIX.114
simulāre XXXIV.272
sine lēge XXXIV.498
sinere sīvisse XXX.111
sinus -ūs *m* XXVII.74
sitīre XXVII.75
socius -ī *m* XXXI.409
solitus -a -um XXXIV.480
solium -ī *n* XXXIV.382
somnium -ī *n* XXX.153
sonare XXXIV.93
sors -rtis *f* XXXIV.414
spēlunca -ae *f* XXX.156
spernere sprēvisse sprētum XXIX.87
spīceus -a -um XXXIV.387
splendidus -a -um XXXIV.62
splendor -ōris *m* XXXIV.72
stabulum -ī *n* XXVII.19
stāmen -inis *n* XXXII.131
stāre stetisse XVIII.183
statua -ae *f* XXXII.209
statuere XXXIII.222
stimulus -ī *m* XXXIV.467
strēnuus -a -um XXVI.134
stultitia -ae *f* XXXI.211
stupēre -uisse XXX.216
suāvis -e XXX.16
sub-mittere -mīsisse -missum XXXIV.233
sūcus -ī *m* XXXII.128
sūdor -ōris *m* XXIX.198
summus collis XXXII.265
superāre XXVI.18
superbia -ae *f* XXXII.67
superbus -a -um, XXVI.3
superesse XXXI.38
superī -ōrum *m pl* XXIX.62
supīnus -a -um XXXI.222
sus-pendere -pendisse -pēnsum XXXIV.336
sustinēre -tinuisse -tentum XXXIII.170
T
tabernāculum -ī *n* XXXIII.186
tacēre tacuisse XXXI.352
taeda -ae *f* XXXIV.293
taedium -iī *m* XXXIV.320
tangere tetigisse tāctum XXVI.83
tegere tēxisse tēctum XXVIII.178
tēla -ae *f* XXXII.132
tēlum -ī XXIX.377
tēmō -ōnis *m* XXXIV.454
tendere XXVII.96
tenebrae -ārum *f pl* XXIX.135
tenēre -uisse XXVIII.121
tergēre -sisse -sum XXVI.36
texere -uisse -xtum XXXII.132
timēre -uisse XXXII.81
tollere sustulisse sublātum XXIX.306
tormentum -ī *n* XXXIV.318
torus -ī *m* XXXIV.294
tot-idem *indēcl* XXIX.328
trā-icere -iō -iēcisse -iectum XXXIII.135
trāns-fīgere XXIX.363
trāns-īre XXXI.170
tremere tremuisse XXX.47
tridēns -entis *m* XXXII.95
truncus -ī *m* XXVII.157
tuba -ae *f* XXVIII.42
tuērī XXXI.89
turbāre XXVII.100
U
ulmus -ī *f* XXXIV.279
ultimum *adv* XXVI.69
ultimus -a -um XXVIII.21
ultrā *adv* XXXIV.328
ultrō XXXIV.209
ululātus -ūs *m* XXXIV.548
ūmēns -entis *adi* XXX.125
ūna XXXIV.375
unda -ae *f* XXX.73
undique XXXIV.534
unguis -is *m* XXX.266
ūnicus -a -um XXXIV.205
ursa -ae *f* XXXII.346
ursus -ī *m* XXXIII.287
ūsus -ūs *m* XXXIV.113
ūtilis -e, **praef**
uxōrem ducere XXVI.38
V
vacca -ae *f* XXXII.157
vagārī XXXII.360
vāgīna -ae *f* XXXIII.191
vapor -ōris *m* XXX.160
vās vāsis *n* XXIX.287
vāstāre XXXIII.18
vātēs -is *m/f* XXXIII.251
vehemēns -entis XXXIV.63
vehere vēxisse vectum XXVII.59
vellus -eris *n* XXVII.154
vēlōciter *adv* XXVIII.80
vēnārī XXXIV.127
venēnum -ī *n* XXXI.406
venia -ae *f* XXXII.75
verērī -itum esse XXXII.364
versārī -ātum esse XXVIII.174
vertere -tisse -sum XXXIV.424
vertere in + *acc* XXXIV.504
vetāre -uisse -itum XXXII.263
vīcīnus -a -um XXXIII.236
victor -ōris *m* XXVIII.55
vincere vīcisse victum XXVI.153
viola -ae *f* XXIX.106
viridis -e XXX.94
virtūs -ūtis *f* XXX.230
vīsere vīsisse vīsum XXVI.110
vītam agere XXX.261
volucris -is *f* XXXIV.166
volvere XXVII.157
vōtum -ī *n* XXXIV.220
vulgāris -e XXXIV.293

Questo volume, quando sprovvisto del triangolino affianco, è da considerarsi copia saggio e campione gratuito fuori commercio, e perciò non può esser venduto, né ceduto ad alcun altro titolo, ai sensi dell'art. 17, comma 2°, della legge 633 del 1941. Esso è inoltre esente da IVA (d. p. r. 26 ottobre 1972, n. 633, art. 2, lett. d) e dall'obbligo della bolla d'accompagnamento (d. p. r. 6 ottobre 1978, n. 627, art. 4, n. 6).



Edizioni Accademia Vivarium Novum

FABVLAE SYRAE
PVP: 12 €
ISBN: 978-88-95611-29-7
9 788895 611297
www.culturaclasica.es